

17818.

Q. F. F. Q. S.

LIBER  
PHILOSOPHUS,

REPRÆSENTANDUS

ALIQVOT

EXERCITIIS ACADEMICIS,

QVORUM

P R A E L I M I N A R I A,

CUM

CONSENSU AMPLISSIMI COLLEGII PHILOSOPHICI  
IN REGIA ACADEMIA DORPATENSI

P R A E S E S

GABRIEL SÖBEGE

PHILOSOPH. THEORET. PROFESS. ORD. BIBLIOTH.

R E S P O N D E N T E

ACADEM:  
DORPAT:

MAGNO GABRIELE EDENIO

VERMELANDO,

PUBLICO PLACIDOQ: SOBRIE PHILOSOPHANTUM EXAMINI  
SUBMITTIT,

IN AUDITORIO MAJORI DIE XXII. NOVEMB.

HORIS ANTE MERIDIEM,

ANNO CHRISTIANO CIC IC C LXXX.

---

LITERIS NÖLLERIANIS.

SÆ. RÆ. M<sup>TIS</sup>. SVECIÆ  
MAXIMÆ FIDEI  
VIRO  
SENATORI, CAMPIDUCI, GENERALI  
GUBERNATORI LIVONIÆ ET CIVITATIS  
RIGENSIS, UT ET CANCELLARIO  
ACADEMIÆ DORPATENSIS,  
ILLUSTRISSIMO & EXCELLENTISSIMO  
DOMINO  
JACOBO JOHANNI  
HASTFER,  
COMITI DE GREIFFENBURG, LIBERO  
BARONI IN KOSTFEHR, DOMINO IN WI-  
BYHOLM, SIÖHOLM, KLASTORP,  
ET SIGGESTADT,  
DOMINO SUO BENIGNISSIMO  
HOC  
D. D. D.  
A U C T O R.

Est. A  
23238

## P R O O E M I U M.



Vi animum ad scribendum adplicant, hoc  
exinde primum se relatuos sciant, qvod variis va-  
riorum imò aliquando maleferiatorum hominum  
sinistris se exposituri sint dicteriis & Judiciis; ali-  
quibus Philosophos veteres, Numinum ad instar,  
colere, ac veluti pro aris & focis defendere, rati-  
one invictissima hac sibi reservata, IPSE DIXIT; aliquibus eosdem  
eorundemq; placita, ut infructuosas ac nullius frugis contemplatio-  
nes exsibilare & refūcare annitentibus. Qvot etenim reperire hoc  
tempore non licet, qvi jurarunt in verba Magistri, qvem pressे  
seqvi sibi aliquando imperarunt? Et certè hi sunt ejusmodi, qvi  
non nisi aliorum auctoritati innixi, omnia judicio alieno tribuen-  
do, nihilq; suo proprio vindicando, præ reliqvis sapere videantur.  
Qvot item ratiociniis suis inveteratæ consuetudini præconceptæq;  
opinioni non fidunt, susq; deq; habitis vel Scripturæ Sz. sanctissimis  
Oraculis, vel aliorum præclaris inventis experientiæ ipsi superstructis,  
qvibus, dum sibi ab blandiuntur nimium & aliis maxima qvævis pol-  
licitentur, in foveam portentosarum opinionum præceps casus pa-  
ratus esse adsolet. Unde sit, ut dum hi ad seram posteritatem  
nomina sua transmittere adlaborant, ne videantur alicui priores  
concessisse partes, maximo impetu ferantur ad ea evulganda, qvæ  
ipsorum causæ inservire, qvæq; aliquid facere ad alterius famam &  
existimationem comminuendam videantur, victoriam insignem  
reportatam, exindeq; triumphum vel Jove ipso dignum actum  
sibi persuadentes falso, dum pro suo more in immerentes gravius  
insultaverint, eorumq; scripta fugillaverint, non in animo habentes,  
hocce ipsorum factum maximè adversari amori à Christo præscri-  
pto, & omnibus in universum commendato, qvi etiam in Jure Naturæ  
suum habet fundamentum, videlicet ne ullum vel verbis vel scriptis.

A

vel

vel alio Opere lèdamus, sed suum cuiq; tribuamus. Qvo facte Christianæ modestiæ humilitatiq; nos litare omnibus manifestum reddimus. Verum enim vero hoc in aliquibus magis optare quam sperare licet, quum, vel ipsa teste experientia, reperiantur illi, qui tam nefandi tumoris & furoris sint, ut jacent solos se ad sacratiora Scientiarum aditu admissos, altissimo præ se supercilios contemnentes doctissimos quosq; non vivos solum, verum etiam mortuos. Nempe hi soli sapienti, reliqui velut umbra vagantur. Hic veluti Pegasus in cœlum volat, cæteri pedibus pulsant terram ! Huc ad primè facere possunt ea, quæ Plautus in Milite glorioso adserit, *Noris, nos Doctissimus :*

*Hic Legiones diffablit Spiritu,  
Quasi Ventus folia.*

Qva pestiferæ invidentia ærugine viros etiam non infimi subsellii perversos actos ad labores aliorum fastidiosæ contemnendos, conqvestus est seculo priori Doctissimus Hispanus Ludovicus Vives præfat: in August. de C. Dei hunc in modum: *Illud magnopere dolendum est, insidere sapenumero ingenii Doctorum quidem, sed non aqvè bonorum, periculorum invidentie virus, qua bona opera inessant, lacerent proscindant, aut perdere conentur, profutura aut allatura lucem obscuris. Cui Hieronymi adjungi potest querela: Accedunt ad hoc invidorum studia, qui omne quod scribimus patiant reprehendentum.* Quidam deniq; adeo sunt in alias severi, sive sævi potius, ut omnia in uno-qvoq; reqvirant exactissima, nec patiantur aliquando dormitare Homerum, ut est in Proverbio Ludov. Viv. p. m. 69. Optandum etiam esset, ne hi soli virulento isto calumniandi vitio essent infecti, in partes suas non allectis vel tractis aliis, qui iis se limandos expoliendosq; commisere, non admittentes, ut latum unguem a Magistrorum placitis recedant. Unde colligi potest, quam misera facies sit Philosophiæ, quæ, ex arbitrio alterius, laryam induere simplicesq; fallere circumventos cogatur.

Imo vero, nec his adqviescant inquieta aliquot capita, antequam aliter sentientes vel confutare confuetis in eos calumniis, vel doctribus aliis eosdem exosos reddere, impio sanè conamine attentârint;

tint. Unde non contemtus duntaxat, sed & interitus præstantissimis qvibusdam Scriptis & lucubrationibus perniciosissimâ hac peste sâpe est intentatus, & cum maximo Reip. Literariæ incommodo acceleratus. Qvin etiam illud Epicteti egregium pag. m. 53. *huc adprimè facere existimandum est, ubi dicit: Φιλοσόφιας ἐποδυμένης περισσευάτες ἀντίθετος, ὡς τῷ γελαθυόρῳ, ὡς τῇ μωκομένων σὺ πολλῶν, ὡς ἔργων, ὅπερ ἄφεν φιλόσοφος ἤμιν ἐπανελύθε, καὶ πότερος ἤμιν ἀντήγροφός. τὸ δὲ ὄφρυν μεν μὴ κῆς. τῶν δὲ βελτίων τοι φαινομένων ἡ τοι εἶχε ὡς ὑπερβαθμέως εἰς τάντην τὴν τάξιν.* Sapientia studium suscipere cupis, statim Te para, quasi futurum sit, ut deridearis, ut multi Te subfannent: ut dicant, Te subito Philosophum exstitisse: ut rogetur, unde supercilium iſſud. Tu supercilium ne habeto. Ea vero, qua optima Tibi videbuntur sic teneto, quasi à Deo sis in ea statione collocatus. Quid quæso, à Philosopho gentili sanius, qvidve homini Christiano convenientius dici potuerit? Ego vero in Vocatione legitima & statione mea jam constitutus, à Sacra Regia Majestate clementissime Professorio muneri admotus, minime me commoveri patiar malivolorum & iniquorum Aristarchorum Censorumq; perversis judiciis & sinistris dictieriis: qui per Angulos garriunt, de mundo sensentiam ferunt, verba sunt Hieron. ad Rustic. Hic bene dixit, ille male, ille scripturas novit, ille delirat, ille loquax, ille infantissimus est: contra quemvis passim in biviis strepentes & scurrarum & parasitorum instar, maledicta congerentes. Cum fretus sim causâ æqui-ori & rationum ponderibus, qvæ mihi semper fuere & deinceps sunt futura curæ & loco normæ, qvod re evicturus sum ipsa, Deo bene juvante, dum opere ipso probem, qvod recentiorum Philosophorum amem placita, ut veterum, qvæ vera sint, non repudientur præcepta, sed ambabus manibus, qvod solet dici, suscipiantur. Nec mirum; qvum illi, qui ante nos (verba sunt Seneca) fuerunt, non Domini nostri sed Duces, non Numinas sed lumina fuerint. Nihil enim refert, ex quo qvid auditum sit, nec considerandum quis dixerit, sed utrum verè dictum, vel Platone fatente in Charm. Vid. m. Cic. I. j. de legibus.

**Ut dicam quod sentiam, me libertate ingenuum ductum suspicere**

antiqua, quæ vera & recta; & amplecti nova, quæ sunt veriora, ejuratâ omni partium Obedientia coeca, illud: libere Philosophandum mihi eligendo; veneror antiquorum & recentiorum Philosopherum inventa, ut nullius placitis me mancipem, qvinimo, quantum in me est, veritatem ex latebris suis eruendam & deinceps firmandam ac vindicandam curem: quo clarum faciam, qvod me non tam solicitorum habeat Qvis, sed Quid dixerit, cui non attendisse mihi foret religio. Sic Seneca nemini se mancipavit: nullius nomen tulit, multum semper magnorum virorum judicia creditit aliquid, & suo vendicavit. Huic adstipulatur ingeniosissimus Grotius in praf. ad J N. & G. ubi inquit: *ego & hic & alibi veterum Christianorum sc̄q; vor libertatem, qui in nullius Philosophorum sc̄tam juraverant, non quod eius assentirentur, qui nihil persipi posse dicebant, quo nihil est stultus; sed quod nullam esse sc̄tam putarent, quæ omne verum videsset, & nullam, quæ non aliquid ex Vero.* Verum enim vero, id hoc tempore præ reliquis dolendum est, qvod hic perversus Mos invaluerit apud multos, ut aliorum opiniones candide minus examinare & inter pretari in lucro sibi positum esse persuadeant. Operæ igitur pretium erit, heic nihil commoveri, sed sine turbido animi motu, meam in hoc negotio detegere sententiam. Potest enim cujusvis oratio insimulari, adeo ut nihil ferè dicatur tam caute, qvod non possit reverti: Nec sperandum est, ut quis tam exacto pondere cuncta libret, qvin aliqua in alterutram partem inclinet. Cogitationes enim nostræ suos habent prætextus, adeo ut nobismet ipsis semper in omnibus non sit fidendum. Humanum enim est aliquando errare, nec inveniri puto ullum in hoc mortalitatis statu, qui non aliquando deviârit & à recta Semita declinârit, Palingen. l. II. *Magni sepe viri mendacia magna loquuntur,*

*Et nemo est adeo prudens, qvin sapius erret,*

*Est igitur ratio in primis querenda, fidesq;*

*Major in ambiguis rationi est semper babenda*

*Quam dictis hominum, namq; hac sunt falsa frequenter.*

Quam-

Quamvis multi sibi nimium indulgeant, sui amore oceœcati, ne  
nervos suos æq; lynceis oculis ac aliorum videant. Soli instar  
omnium esse volunt, Literariæ rei sibi Dictaturam qvandam arro-  
gantes, qvibus nisi obviam eatur, neminem præter ipsos qvid-  
qvam posse vel scire falso sibi persuadebunt. Qvi sunt ferè ejus-  
modi, qvi invidiam faciendo aliis, æstum, qvo concitati furibundi  
ferantur, facil negotio non extingui posse nisi admota frigida tem-  
pestivisq; remedii adplicitis sedatum, vel plane sublatum imagi-  
nabuntur. Qvod si id qvidem non successerit ex voto mili, prout  
semper sunt, qvi omnia in pejus rapere adsoleant, sine ingenio &  
capitu omnia aliorum metientes, qvo illud comprobetur dictum,  
qvod ita habetur:

*Pro captu Lectoris habent sua fata Libelli,  
Et quod scire grave est, carpere cuicq; leve est.*

Mediocribus sapè Scriptis (inqvit Symmach. l. 4. Epist. 185.) Amico-  
rum benignitas favere novit, alienorum invidia ignoscere non novit;  
nulla alia remedia huic sum adplicaturus malo, qvam qvæ minimi  
constare arbitrer, qvæq; accedente mora temporis medicinæ loco  
esse possint, a benevolis non nisi benivolenter hæcce quantula-  
cunq; mea, qvæ meditor & Oculis litterati Orbis subjicio, ac dein-  
ceps sum subjecturus censuræ, verum non rigidiori, accepta fore  
spero, imo confido.

Qvos vero titillat pruritus ingens nomen & Scripta alterius  
aculeis acerrimis & nocentissimis pungendi, qviq; famam importu-  
no sugillandi ac rodendi impetu circumducti feruntur, eos rogà-  
tos velim, ne rapti ad perversa perseverent, in exagitandis benè  
cupientium Studiis, nec porro æstu isto nocivo ardeant alios præse-  
alto supercilio contemnendi, qvamvis occasionem habuerint cen-  
soriâ virgulâ multorum signare Scripta; sed adqviescant dicili usq;  
dum siores rationes in medium proferantur, qvæ nostras con-  
vulsiſſe arguant. Nulla ars tam perfecta est, qvin industria per-  
fectior evadat, divina autem Philosophia summo indiget studio.  
Qvod ad me attinet, lubentissime fateor heic non reperi tam  
absoluta, comita & perpolita omnia, ut Zoili, qvi supervenientes

& emundatæ naris Curiones rigidori ascia expolire, rancinaq; sua etiamsi optimè exasciata forent, non dedolare, imo Carboneâtro notare & caliginem adspergere possint, censuræ id demum relinquentes suæ, qvod speciem aliquam sententiaz alienæ præbeat, per spicaces admodum ad ea videnda; qvæ in aliorum dictis reprehendi possunt. Aliter alios comparatos novi, qvi, si quid viderint, qvod non contrariatur divinis literis, bonis moribus, sanæ item rationi, soli Deo acceptum ferunt, ei gratias agentes, pro magna Publico præstata operâ, dum tantum Otium indulxit Terris, ut possint tuto Studia in omnibus Facultatibus, necessaria Reipublicæ bene ordinatæ fulcra haberi, in id porro opere summo incumbentes, ut in usus singulorum & totius Universitatis, præcipue Dei gloriam convertantur; ne propter ingratum aliquorum animum ira Dei & vindicta gravior concitata importunam horum censuram & præcipitatum judicium sinistre latum de iis, qvi à Deo ad hoc vel illud officium sint destinati, excipiat. Qvibus verò meliore luto finxit præcordia Titan, in ipso diversa tuendi studio laudabile præbent modestiaz exemplum, rationibus inter se certantes, non quis mos nuper adeo Literas inquinare cœpit, convitiis, turpi fœta inponentis animi. Grot.

Cogitanti autem mihi quid præ ceteris sumerem ventilandum tirea initium muneric in nomine S. S. Triadis adeundi, libera philosophandi ratio, digna, si qva alia visa est materia. In qva deducenda, non nihil me operosorem fore persentio. Qvippe dum contendô probatum ire, nec omnia Philosophorum temere amplectenda, nec omnia repudianda, sed optima feligenda, detineri videor rei gravitate & pondere, ut & aliis remoris, qvæ muneri difficillimo indiviso nexu conjunguntur, qvibus exantlandis ope summi Numinis me parem fore spero. Qvamvis fatendum sit ingenia humana esse uti poma, qvæ acerbiora felicius tempestiviusq; matu rescant, molliora citius putrescant. Qvare & nobis, si quid minus ad prudentiaz Solem coctum damus, condonandum: non enim ex iis sumus, qvi perfectissima nos scribere censemus, sed in eorum numero nos ponimus, qvi & scribendo proficiant, & proficiendo

sificiendo scribant. *Nec Platonem nobilem accepit Philosophia, sed fecit.* Senec. Nihil simul inventum & absolutum est. Duces non contemnuntur, si interdum vincuntur, ita nec Philosophi, si aliquando errent. Verum enimvero mihi prolixiori heic esse haud licet, festimanti ad ipsam rei, quam ɔrsus sum, tractationem, præmissa tamen in antecessum Historia Philosophorum Ante- & post- diluvianorum, intra & extra Ecclesiæ Dei pomœria constitutorum; adjectis insuper illis, quæ in tanta brevitate his adcommodari possint, quæq; huc facere videantur, nec non jactis fundamētis distingvendarum Disciplinarum Theoreticarum & Practicarum. Quæ huic plurimum conserre negotio in antecessum visa sunt. Qvibus suo vero & genuino loco positis, *Philosophum liberum* facie & vestimentis genuiis & non fictitiis, quantum à me fieri queat, prodire in Publicum curabo. De cetero, tuum est, LECTOR, tales Te præbere Censorem, qualem alium exspectare cupias. Qyod si hac non successerit via, alia ineunda est; relinquendum scilicet Te tuis præjudiciis, consuetudiniq; antiquæ innoxios plectendi, cum difficilius erit animum Tuum mutari quam Aethiopem Colorem variare. VALE!

### §. I.

**A**ntiquum usuq; longo receptum ac venerandum tenuisse morem, pressisseq; vestigia Virorum nominis famâ laborum in inquirenda vocum Etymologia & Onomatologia, non ducerem alienum à recepto in Academiis differendi more, Philosophive officio cum vel judicio plurium Philosophorum, calculo suo ipsum id rectum adprobantium constare possit, in quibus Epictetus prodit, dicens: ἀγχὴ τῆς παιδείας η τῶν ὄνομάτων ἐπίσκεψις, i.e. Nominum trutinationem esse principium Eruditionis, quantum momenti in eo sit, quidq; faciat ad rem melius intelligendam, ut nominum in antecessum habeatur ratio, omnibus vel me tacente notum est. Verum enimvero heic me detinere videntur fata qvorundam recentierum temporum, qui variorum hominum sinistris judiciis hanc

hanc ob causam se stiterant obnoxios, quasi desudarint ad tedium usq; & nauseam aurum & animorum deliciorum in Originibus vocum derivandis, qvibus persvasum est, male ab ipsis operam impendi, si nodum in scirpo qvaē qværentes, nomina per se clara & perspicua derivando, iis Chartistas adimplendo, & sic opus augendo, nomen auctius & famam clariorem exinde sibi parare adgredentur. Qvorum sententias susq; deq; habitas, p̄cipue in hujus & alterius tractatus frontispicio, non moror, annisurus opere in id maximo, ne jure merito circa hæcce vapulem. Ad qvod inducor Platonis, in Cratilo effato, veritate comprobando ipsa: ὀνοματογένετος ἐστιν, η τις ἐνδείχεται, οἷον ἐστι τὸ πρᾶγμα, i.e. Nominis rectitudo illa est, ut qvalis res sit, ostendat. Dum vero sollicitus qværo, qvid mihi tractatum hunc orsero sit faciendum, commodum animo inducor, supersedere operosiore istoc labore conducere, cum alia necessaria magis post hæc lese offerant nobis tractanda, qvæ forsitan præter spem & exspectationem, diutius nos detinebunt. Præterqvam qvod vel cuvis mediocri cura in Naturam horum Vocabulorum inqvirenti, fontesq; derivare conanti Studio diligiens non tam difficile esse hocce negotium sperrem. Paucis tamen ὡς εἰ συνέψη naturam & indolem istarum Vocabum indagare animus est, ut nobis brevissimis esse laborantibus inoffenso pede progredi, atq; ista, qvæ nos à recta via in devia abripere qvæant, faustis auspiciis semovere licet. Qui desiderat pleniores Nominum origines & significatus, desiderio suo satisfacturos adeat Philologos, qui in hisce plurimum sunt occupati.

### §. II.

In augustissimi Philosophi nostri Nominis ἑτύμω indagando occupati, operam nos præstare non alienam ab officio nostro confidimus, si illud sui primo autori Pythagoræ adscriperimus, qui se φίλαν τῆς σοφίας amicum sapientiæ, modestiæ causa adpellavit, ad retundendum præcedentium Philosophorum nimium fastum & arrogantiæ, qui titulum soli DEO omnipotenti competentem

ibi

sibi importune arrogârant. Quem etiam ad se derivavit Aristoteles, ne modestiam arrogantiâ permutasse videretur. Vox vero τῆς σοφίας unde sit arcessenda, Camero, Hornius, Heinsius & Martinius non conveniunt. Sanior tamen videtur Sententia eorum, qvi σοφίας vel ἡ σοφία i. e. clarus, qvia Sapientia clara & distincta rei notitia est; vel ἡ σοφία, colo, deducunt; qvi enim Eruditionem est consecutus, veneratione dignus est.

Philosophus noster heic non prodit 1. in strictissimo significatus habitu, prout ejus Substantivum pro τῇ ὄντως ὄντως, τῇ πρότερᾳ contemplatione seu Metaphysica sola, ut ap. Arist. l. 3. c. 3. sumi soleat, cui Plato nomen indidit ἀληθινῆς φιλοσοφίας, η μεγίστη μαθήματος, qvibus nihil aliud quam solius Dei cognitio indigitatur, ad cujus summum radiorum splendorem reliqua Philosophia ουκέπειν φιλοσοφία nocturna Philosophia appellatur. Nec 2do stricto Significationis habitu incedit, quando significat Philosophum vel Theoretices de qvo Arist. 2. Met. 1. vel Practices, de qvo Cic. Tusc. 5. unde illi indepi sunt nomen, qvi ante Pythagoram appellari Sapientes se siverant, contemplationi enim plurimum dediti negligebant ea, qvæ vitæ benè & recte instituendæ conducebant. Sed 3tio proprio & non adposititio sibi applicato vestimentorum genere, qvo universe Philosophie Veritatis comprehensor, Philosophus scil. Theoreticus & Practicus sifstitur, & in publicum prodire conatur. Quem Plato definit ἐπιθυμήτην σοφίας πάσης universæ Sapientiæ avidum, qvo evidentissimè monstrat, qvod contradistingvatur illis, qvit tres superiores Facultates profiteantur, cuius deniq; apud illos usus haud minimus percipitur.

### §. III.

**L**iberum à libet deduci rectissimè statuimus. Cujus significatus triplex evincitur, prout scilicet opponatur 1. Servo, vel proprio sumto, ut Jure Consulti dividunt homines omnes in Liberos & Servos; vel metaphorice pro non obnoxio peccati Dominio, ut Joh. 8. 36. εἴναι ἐν ὁρμῇ ὑμᾶς ἐλεύθεροι, ὄντως ἐλεύθεροι εἰσθε. in qvo dicto liberati

liberati dicimus à peccati servitute per Filium. 2. *Coacto & Violento*, sic liber est, qvi ab agente externo non rapitur, sed actionis suæ principium internum habet, qvale homini & bruto animali ineſt: Namq; hoc infra nostram conditionem positum, libertate qvoq; intra certum gradum videmus gaudere. Qvæ eatenus quidem valde est ignobilis, quod exiguis limitibus ipsius vires sunt circumscripta, & hebetudo sensuum ac abjectio adpetitus, neg. circa multa Objecta, idg. sat superfunctionie iveretur, & non nisi ab iis, qva ventri inserviunt, crassis fere, & ubiq; obviis excitetur. Pufendorff. J. N. & G. lib. 2. c. 1. §. 4. 3. *Necessario*, qvo indifferētiam qvandam prodit ad utrumlibet, cuius voluntas libera est, non determinata ad unum, sed ex duobus positis utrum velit, potest. Hinc secundum Arist. Rhet. 1. c. 9. ελευθέρης, τὰ μὴ πρὸς ἄλλον ζῆν. Liberi esse, nequaquam ad alterius arbitrium vivere. Qvare positis omnibus ad agendum requisitis, potest agere & non agere, agere hoc & agere illud. Qvod non sic velim interpretentur, ac si objecto uno proposito agere & non agere, velle & non velle; sicut velle & non velle virtutem possit; sed qvi non est restrictus ad hoc vel illud, unde potest vel eligere vel proscribere virtutem, indulgere vel non indulgere vitiis. Hæc enim sunt contraria, ista vero contradictoria. Hæc proinde propria hujus fori est Significatio, qva indigitatur talis Liber, cui facultas seu potestas est relictæ, adcurata cum industria inquirendi in Scripta Philosophorum omnium, deq; iis judicandi; vel Judicium tantisper suspendendi, usq; dum clarius exoriatur Lumen, proscriptis hujus vel illius placitis, qvæ Scripturæ Sæ., Rationi rectæ, Experienciæ ve adversentur, ipse vero. verioribus duntaxat immo- retur, eaq; adprobet, arripiatq; , qvæ videat gravioribus ponderum rationibus magis adstruenda. Hisce positis, proximum est ut *Philosophus noster Liber* describatur, cuius delineatio hæc esse queat :

*Philosophus liber* is à nobis dicetur, qvi de materia qvavis in *Philosophia* obvia gaudet libertate sentiendi ac judicandi, secundum Rationem rectam. Vel sic:-

*Philosophus liber* censetur, cui facultas est concessa liberè in  
Phi-

Philosophia progrediendi, optima eligendi, proscriptis hujus & alterius auctoritate nuda, & aliis, qvæ ipsum retardare soleant, quo minus inoffenso pede in proposito perget, ut verum inveniatur, alisq; fideliter inculetur.

§. IV.

Cum verum vero semper congruat, ut & una simplex sit veritas, qvæ circa rerum cognoscendarum & agendarum Theoriam & Praxin occupetur, ideoq; jure merito illa ipsa præ omnibus aliis esset omni nisu & conamine investiganda, ac sincero cultu magni facienda. Verum enim vero, ad hanc obtinendam non tam facilis datur aditus, per plurimorum hominum Studiis, Ingénii & inclinationibus discrepantibus, deviantibus & variantibus, adeo ut, qvod hodie adstruat unus, crastina luce altereat improbatum. Hinc prærupta & salebrosa multa primo esse superanda, diligens veritatis indagator sibi persuadebit, nisi in labyrinthum itinere præcipiti festinare voluerit, unde se explicasse viamq; abeundi invenisse rectam, qvam dissentientes inviam salebrisq; ac sentibus fere obsitam & impeditam reddiderunt, felicitas esset summa. Qvare tot opiniorum divortia & monstra in Philosophia exorta, qvivis sincerus Philosophiae Cultor queritur, ut cum Varrone dicere possit, neminem ægrotum qvidqvam tam infandum somniare, qvod non aliquis dicat Philosophus, sive ut Cartesius dicere non veretur disp. de method. membr. 2. p. 10. *Nihil tam absurdum dici, qvod non dicitur ab aliquo Philosophorum.* Sicut pretiosum aliquod vestimentum à discordibus militibus, in varias rupturas divisum, in partes singulas disrumpitur, qvod tamen prius non erat, ita una simplex semper erat Veritas, qvæ etiam nunc est, & erit, rapta tamen à discordibus Sectariorum studiis & in varias partes discissa. Paucissimis eam in integrum restituere partibus in unum comportatis, conassis; plerisq; e contrario partem suam tot laciniis, tot plicis obtegentibus aut deformantibus, ut qvod de verò habeant omnes, alter in altero aut nequeat aut nolit cognoscere,

accedentibus in primis, ut solet factionibus, cœco odio, pertinacia & cedendi tergiversatione, diversa sentientibus ansa relicta aliter multo de se sperandi, qvam veritatis amantes deceat. Qvorum placita ingenii ostentandi gratia emissa si observaverimus, liqvidò omnibus constabit, nihil tam horridum, qvod non splenduerit Oratione; nihil tam absonum qvod dicendo & arguendo non fuerit probabile factum. Hujus rei manifesta sunt indicia tot Controversiarum in universa Philosophia volumina, tot clamosorum Hominum contumeliosæ Calumniæ, tot Declamationes stentoreæ, criminacionesq; felle oppletæ, qvibus evincunt, non Philosophicam veritatem defendi, sed oleum & operam insumi, profundi & pessimè collocari, in non necessaria altercatione & ociosa verborum reciprocatione. His accedit etiam illud, qvod non Philosopherius sive Sapientiae Amator sit, sed Philodoxus & gloriolæ au-cupator existimandus, qvi Socraticum illud, omnium probatione dignum non observet: *Nullum esse veritati praferendum virum.* Qvod non observarunt novi Academicæ, dum omnem certitudinem proscripterunt, in locum ejus subsistuta sola verisimilitudine. Qvibus e diametro se opposentes Pyrrhonici verisimilitudinem inficiati, omnia ex æquo obscura & incerta conteudentes. Hinc tot (ut solet dici) sensus, qvot Capita, tot ferè Sectæ, qvot Cultores, qvibus recensendis nescio an tempus & Charta sufficient. Attamen conabor, ut varia Sectarum Nomina, Opiniones diversæ & in partes divisiæ, paucis primum designentur, longius hinc eliminandis μυστόφοις, Philosophiam ut vanum cerebri figmentum, Philosophiæ vero Studiosos Philosophastros, Vulpeculas Scholasticas, ac de lapide emtos argruentibus.

## S. V.

PHilosophiæ originem derivari à Supremo Numinе, ut Causa effidente primâ, neminem fugere puto; Qvare Deo, ut Autori omnium aliorum homini concessorum bonorum, sic hujus, inter ea

ea non loco infimo habendi datori venerabundi adscribimus. Adeo ut rectissime Deo, ut soli sapienti, adtribuatur Causa prima, non exemplaris solum & objectiva, sed & efficiens omnis Philosophia, non secus ac cognitionis supernaturalis.

Miserum ergo in modum errare constat Anabaptistas, Fratres Roseæ Crucis, Weigelianosq; statuentes Philosophiam omnem a Dæmone esse profectam, eamq; ut inimicam Christianæ fidei a S. Paulo damnari. Qibus accenseri possunt illi, qibus persuasum est, Philosophiam natales suos debere Aetatis primorum temporum post-diluvianorum vel ea excipientium proxime hominum; ut & qvi hominibus profanis extra pomaria Ecclesiæ Christi existentibus eosdem adscribunt, qvorum ex numero volunt eminere Periclem, Pythagoram, Protagoram, Zenonem Eleatam, Socratem, Platonem, Aristotelem.

Nos autem clariori luce illustrati, illorum opinionebus proscriptis, eosdem ulterius deducere conabimur, valere interea jusso Cicerone apud Lastant, l. III. c. XVI. ad severante, Thaletem primum fuisse Philosophum. Cujus Sententia obviam ut eatur consuli potest Clemens Alexandrinus Strom. 6. fol. 465. Κανέγη τις, καὶ σύνεσιν ἀνθρώπων Φιλοσοφίαν ἐνρήματι πρὸς Ἑλλήνας. Άλλὰ τὰς γραφὰς εὑρίσκω τὴν σύνεσιν θεόπεμπτον εἶναι λεγόστας. &c. Qvod si quis dicat, per hominum intelligentiam inventam a Græcis Philosophiam Atque invenio Scripturas dicentes Intelligentiam fuisse a Deo missam. Qvare Socratem Praeceptorem adducit Plato Alcibiad. fol. 124. hunc in modum loquenter: Communi Consilio opus est, ecqvo pacto optimi simus evasuri: Non enim ego de te tantum adfirmo, te disciplina indigere, sed me ipsum maxime. Neq; enim est qvidquam, qvo à Te differam, uno excepto. Tutor meus scilicet Deus est præstantior & sapientior, quam tuus, scilicet Pericles. Et siqvidem ex dictis constare arbitremur, Philosophia causam efficientem Deum existere, proximum est, ut instrumentalis Causa à nobis tangatur, circa quam prolixiorem operam nos collocatores novimus, Sectis in tam varias partes divisis & scissis, Commodissimum tamen remur si Philosophi discriminentur in

Ante- & Post-diluvianos : hi verò in Barbaros & Græcos, videlicet  
Ægyptios, Chaldæos, Judæos, Indos, Arabes, Druidas, Skaldos,  
Græcos & Romanos, qvorum mentio in seqventibus fu-  
tura est tanto brevior, qvanto reliqua, qvæ tractanda sumsimus,  
prolixiorem & adcuratiorem reqvirant observationem & animad-  
versionem.

## §. VI.

**A**B Adamo igitur primo Parente noster Sermo sumit initium,  
qvem summum fuisse inter homines Philosophum, invictæ  
rationes probant, evincentes, ipsum consumatissimi Philosophi  
nomen meruisse. Dum enim præsentia sua visibili & colloqvio  
propiori ac familiariori ipsum dignaretur Deus, certo certius sta-  
tuere licet, ipsum exinde plurima notatu digna hausisse, qvæ no-  
bis omnibus sunt denegata. Cui enim oculis primo intueri coram  
omnia à Deo creata in cœlo terra & mari datum erat, ipsisq; no-  
mina imponere, naturis singulorum apta, eundem qvis dubitabit  
exactissima naturæ penetratione totius ad maximam adscendisse  
scientiam? Qware recte illud Suidas : Ἀδαμοντινός ἀντιπρωτότοκος οὐφός &c. Adam jure optimo primus Sophus sive sapiens  
dici potest. A lapsu verò, postquam peccati gravitate in tenebri-  
cosum oblivionis Ergastulum detrusus, inscitiæq; densa caligine ob-  
fessus versari in magna rerum ignorantia cogeretur, præ priori,  
qvâ magna ex parte exutus erat, destitit minimè adumbratam in-  
volutamq; suam cognitionem reparare, non omittens illa, qvæ  
mentis & sensuum ope posset cognoscere. Et qvoq; credere li-  
cket, ex indulgentia divina remansisse velut e magno igne scintil-  
las, qvas, ceu reliquias secum è Paradiso tulisse vero simile est,  
easq; accedente longo rerum usu & diligentí investigatione ac  
scrutinio obstrusarum rerum Filiis communicasse, atq; eos parti-  
cipes reddidisse omnium. Vid. Micræl. p. 29. inqviens : Ipse Adam  
cum aliis inter homines senioribus imperium in reliquos exercuit paternum,  
& artes optimas fiderumq; motus & naturæ vires illis inculcavit. Utq; id  
melius

*melius fieri posset, Deus longevas Patriarchas primorum seculorum esse voluit.*

Unde Baleus de Script: Brit: Cent. 10; præf. Ex Adamo, tanquam ex fonte omnes Artes bona & omnis sapientia humana profluxit. Hic primus Cœlestium Corporum motus, plantarum, animantium, & omnium Creaturarum naturas, rationem Ecclesiasticæ, Politicæ & Oeconomicæ Gubernationis primum publicavit. Ex hujus Schola, quicquid est bonarum Artium, & Sapientie in totum genus humanum per partes est postea propagatum. Siquidem quid Astronomia, Geometria & aliae Artes inse continent, totum servit. Hic enim est, qui invenit singula, omnibus canones ac regulas finesq; præscribens, ultra quos non transirent. Hujus sunt artes & literæ; Hujus Scientiæ rationales & non-rationales &c. Unde animadvertisimus, Adamo summam tributam Sapientiam, rerumq; divinarum & humanarum scientiam, ut in abditissima naturæ mysteria perspicacissime penetrare, quantum post lapsum fieri potest, deq; illius viribus, usu atq; efficacia accuratissime judicare valeret. Qapropter Patriarchæ ante-diluviani superarunt post-diluvianos ætate & aliis donis à summo Numine concessis, ut Sapientiam in Paradiso amissam longo usu repararent, filiisq; inculcarent; Illi enim immensa spatia Vitæ decurrentes, innumera a se inventa & excogitata filiis tradebant, quæ illi postea excolentes & paternæ experientiæ rursum ceu Lapii Lydio affricantes perfectiora cum effecissent, in Filiorum memoria Thesauros reponebant. Qui eadem via progressi omnes disciplinas ad summum fastigium evexere, ut recte apud Afranum dicant:

*Usus nos genuit, mater peperit memoria.*

At dolendum, quod nec hic status omnis fuerit corruptionis expers, altero Adami filiorum fraudibus Diabolicis circumvento, multis ab ipso commissis, quæ Parente magno indignissimum Filiū arguerint. Namq; hic, occiso justo Abele fratre, & exstructa civitate Hanoch, novam Religionem, sive potius Superstitionem in eandem introduxit, posteris ejus obfirmantibus violentum imperium, ab ipso fundatum & erectum omni violentia & iniqvitate.

Seth

Seth vero expressissimum exemplar bonitatis paternæ in locum per-  
emti fratris procreatus, partim paternâ doctrina imbutus, par-  
tim propriis contemplationibus excultus, multæ eruditionis spe-  
cimen exhibuit. Qvod testimonio Josephi Antiqv: Jud. l. i. c. 2.  
comprobatur : *Columnas in Syria duas erectas lapideam & lateritiam,  
iisq; disciplinas ab Adamo inventas, à Setho vero & Filiis excultas, in-  
sculpsisse*, ut si lateritia diluvio absumeretur, lapidea esset super-  
stes, qvæ discendi ficeret hominibus copiam, qvarum lapideam  
etiam ætate sua mansisse in Syria ipse est auctor. Continua de-  
mum serie , Philosophia exculta per Enoch, Mathusalah & reliquos  
Patres Ante-diluvianos, ad Noah quasi jure hæreditario est devo-  
luta. Ex qvibus Henoch existimatur a Kirchero, fons Ægy-  
ptiacæ Sapientiæ Oed. Ægypt. ubi sic de ipso scribit : Ab Enocho ante  
diluvium omnem Sapientiam Ægyptiorum principium habuisse.  
De Mathusala Artabanus ap. Euseb. l.9. præpar. Evang. c. 5. ait, eum  
ab Angelis multa cognovisse, qvæ cæteros docuerit. An vero fides  
dicto sit habenda, nec ne, non magni referre dicitur, hoc tamen  
extra controversiam positum credimus, hos occupatos fuisse in  
Creatoris, adeoque Primæ Causæ contemplatione, qvæ ex libro  
Gratiæ & simul libro Naturæ dici & hauriri adsoleat. Unde eos  
multa in Philosophia tum Physica & Metaphysica, tum Ethica im-  
bibisse & posteris communicasse existimat Court. Gent. part. 2.  
l. I. c. I. §. 78.

## §. VII.

**N**Oachum! cum suis in Arca servatum, cunctis reliquis diluvio  
absorptis; excolere filiisque inculcare artes & scientias præci-  
pue Astronomiam non intermissee, autor est Josephus l. i. c. 4. Se-  
mus & Japhet cum suis posteris etiam instituisse Dei cultui, & Sa-  
pientiæ Virtutumque Studiis magna cura ac diligentia solicita-  
litasse creduntur. Chamus interea imminentis dominationi-  
bus terrisque, forte Semo qvæ obvenerant, proscriptis autem  
Dei cultu veriori & studiis Sapientiæ, in omne genus nequitiz  
erupit;

erupit; Qvod item ejus nepos Nimrod non omittens, terras ejusque incolas suæ fecit ditionis. Euseb. de præpar. Evang. L. 2. c. 1. Ex filiis verò Semi abnepos Eber excelluit, Studiaqve Philosophica viguere ejus opera, usqve dum ad Abrahamum hæreditatis quasi juie devolverentur, sub quo eadem majora sumissæ augmenta, aliquot non minimi pretii Viri contendunt. Abrahamum denique natum, decima post diluvium generatione, apud Chaldæos inventorem fuisse Astrologiæ sentiunt. Qvod Alexandri Polyhistoris apud Euseb. l. 9. præpar. Ev. c. 17. fol. 419. testimonio improbari videtur, ubi hæcce extant verba: *Abrahamum Heliopoli vixisse, cum autem non professum se Astrologia inventorem esse: sed à majoribus suis eam inde ab Enoch traditam sibi per manus.* Apud Ægyptios Mathematicos & Metaphysicos floruisse, Sacerdotio fuisse functos & Regno, sunt rationes graves qvæ idipsum confirmant. De cætero Jasetam, Pelegi qvi erat sextus à Noacho frater, Philosophiæ primus auctor scribitur apud Orientales vid. Genebrard. Chronol: sed Josephus, cui major est habenda fides l. c. 9. scribit, Abrahamo Ægyptios veram de Deo rebusque divinis sententiam & initia liberalium artium debere, quarum notitiam ante nullam habebant. Abrahamum cum Noacho LVII. annos egisse ex computatione temporum statuunt eruditæ censores, à quo ea, qvæ antiqui patrum parentes ante diluvium invenerant, qvæ plurima indubie fuere, dicit. Steuch: Eugubinus hisce accenserit potest in de perenni Philosophia l. 1. c. 1. *siguidem inquietus, Abraham Chaldaeus fuit, in cuius domo veterem Theologiam par est remansisse.* Nam & temporum exactissima supputatio & Hebræorum literæ adsentientur vitam Noæ usqve in tempora Abrahami pervenisse. Is filio & nepoti narravit: à Jacob in omne genus defluxerunt. Nobiliorem qvidem ac sinceriorem hanc Hebræorum scientiam. Plura de Abrahami Philosophia vid: apud Ludov. Vivem, in August: de Civit. Dei l. 18. c. 2. Voss. de Philos. sectis l. 2. c. 8 Horn. Hist. Philos. l. 2. c. 10. Court. Gent. p. 2. l. 1. c. 1. § 9. Post Abrahamum Philosophiam excoluerunt Isaac & Jacob, qvi baculos variis coloris objecit gregi, ut foetus ejusmodi colores referrent, & hujus deinde filii, in-

ter qvos eminuit castissimus & ob id in carcerem detrusus, vere ex ergastulo ad proximum in regno à rege locum evectus, Josephus, de qvo Melanchthon Chron. l. 2. de Abrahamo. Etsi doctrina de motibus cœlestibus & de natura rerum in Ægypto conservata est, toto Monarchiarum tempore, Assyriacæ scilicet, Persicæ, Græcæ & Romanæ, usqve ad Barbariem Mahometicam, fere 3000. annorum. Jacob vidit florentem regni statum, qvod tunc habebat Regem pium, cum qvo sèpè colloqvebatur, & qui late propagari veram doctrinam curavit, & multis vicinis gentibus in fame opem tulit, qvod itidem Josephum perseqvutum esse, vestigiaque parentis presfisse, ejus sapientia, probitas & cuncta in integrum restituendi ardor, nos non sinunt dubitare. Hunc demum excipit niveum istud pectus, germenqve prisca probitatis Jobus, de qvo non vilius ferri posse judicium in Philosophia versatissimi ingenii, multa sunt qvæ id nobis persvadeant. Qyotus qvisqve enim nostrum est, qui non animo menteqve, haud secus ac oculis, pervolvere ac lustrare queat, qvot notatu digna ex intimis naturæ penetralibus ipse eruerit & exprimerit, qvæ ex Philosophicis qvæstionibus & responsionibus ejus colliguntur de nubibus videbile & earundem evaporationibus, de auro & argento, ferro & ære, de lapidibus, gemmis, sulfure & igne subterraneo &c. Scholam publicam ipsum erexisse, probabile videtur ex Jobi 4. 3. *Multos edocuisti.* Qvo tempore verò vixerit, non tam recte inter se conveniunt eruditæ, hoc tamen verosimile videtur, si nec Abrahami temporibus, nec Judicum vel Regum eundem annumerabimus, sed potius iisdem, qvibus Israëlitæ Ægyptiaca servitute pressi, sub onere, cùi serendo non erant pares, gemebant. Post enim latam legem, nemini licitum erat alibi, qvam coram Arca vel tabernaculo Dei sacrificare, sine mandato singulari, in qvod præceptum pietatis alumnus Hiob nulla ratione peccasse est censendus. Et si peccasset Sacra Scriptura sacrificia ipsius haud hisce verbis commendasset Job. 1. 5. *Cum in orbem transissent dies convivii, mittebat ad eos Job, & sacrificabat illos, consurgensq; diluculo offerebat holocausta pro singulis. Dicebat enim: ne forte peccaverint filii mei, & benedixerint Deo in cordibus suis. Sic faciebas Job cunctis diebus.*

S. VIII.

**M**osen auctum Scientia omnium Ebræorum doctissimum salutat Josephus antiq. Jud. l. 2. c. 5. Cui adstipulatur Clemens Alexandr. Strom. i. fol. 251. Cum & tate esset grandior, Arithmeticam & Geometriam, Rhythmicam & Harmonicam & præterea Medicinam & Musicam doctus est ac iis, qui erant insignes inter Ægyptios, & præterea eam, quæ traditur, per Symbola seu signa philosophiam, quam in literis ostendunt Hieroglyphicis. Didicit autem literas Ægyptiorum & rerum cœlestium scientiam à Chaldaëis & ab Ægyptiis; Unde dicitur doctus fuisse in omni Ægyptiorum sapientia Act. VII. 22. Quid etiam Eupolemus de Judææ regibus dicit, Mosen primum fuisse sapientem & Grammaticum, id est literas primum Judæis tradidisse. Clemens ipsum Politicum & Philosophum adpellat, à quo Plato Philosophus in legibus ferendis adjutus legitur. Hinc scilicet è libris Mosaicis derivandas esse Physicam & Metaphysicam existimarunt viri non incelebres. Ex loco enim Exod. III. 14 ubi Deus de se ipso dixit: Εγώ εἰμι ὁ ὢν Ego sum qui sum non dubitat Ludov. Vives in August. de Civ. Dei l. 8. c. 11. adseverare Ægyptios, Pythagoram, Platone mque suas contemplationes Metaphysicas de Ente primo hinc inde arcessivisse: Hinc notiones suas de Ente primo, quod sit τὸ ὄν, ἀυτὸὸν, ὅντας ὄν traduxisse eosdem existimant iidem. Participium enim ὁ ὢν ego sum ille qui est, uno verbo non potest redi latino commodius, quam per Ens, quo indigitari voluit Deus, se illum esse qui sit, quum res creatæ omnes respectu Dei, umbram essentia referant. Nam qui fuit, est, erit, ipse maximè semper est; quando fuit & erit sint partes nostri temporis fluxæ naturæ. Hinc prodit Salomon sapientior hominibus omnibus l. Reg. 3. c. 2. & 4. 29. 30. 31. seqv. De quo hoc exstat Josephi Antiq. l. 8. judicium: *Salomon composuit libros de canticis & modulationibus, quinque mille: parabolaram & similitudinum fecit libros tria millia. Per unum quodque enim arboris genus parabolam duxit, ab Hyssopo usq; ad Cedrum. Eodem modo de jumentis, & reliquis terrenis, nec non aquatilibus & agri animalibus disputavit. Nullam*

namq; naturam ignorabat, inexaminate amue prateritæ, sed de omnibus philosophatus est & proprietatem eorum eminenter exposuit. Qvod vero Philosophia ejus opera & cura sit propagata ad Phœnices & Ægyptios & exinde ad Græcos, nondum evictum est. In eo autem non lapsus videtur vel a recto deviasle Hornius Hist. Phil. l. 7. c. 2. statuens: Salomonem subtilissimam Philosophiam prius, quam Græcos, literis consecrasse, hisce hunc honorem sibi falso arrogantibus, attribuentibus & vindicare conantibus.

### S. IX.

**D**E cætero floruisse apud Ebræos Scholas & Academias erectas in qvibus informabantur ingenia selectiora, divinis studiis nata & dicata, statuimus. Ut de Mose & Josua nihil huc referamus, ad Samuel descensuri, qvi jam jam ruituram Reipublicam erigere erat destinatus. Hic etenim Keriath Jearinus j. Sam. 10. 5. ad collem, in quo arca Domini erat, publica Studiosorum Collegia florere fecit. Namq; descendentes de Colle in quo arca Domini servabatur, antecedebant varia instrumenta Musica. *Et hi prophetabunt*, i. e. Spiritu divino concitati, dicent Deo laudes, atq; different de rebus divinis. Unde colligitur heic se sustinuisse juvenes notæ & spei melioris vid. j Sam. XI. 18. 19. 20. *Heic loci* ubi Samuelem egisse præsidem Prophetasq; habuisse auditores, ad qvam eorum Academiam, ut eo tempore florentissimam maximum Studiosorum confluxum accessisse, probabile viris doctis videtur.

Scholas Hebreorum vulgo scholas Prophetarum appellatas fuisse, maximi nominis visi opinantur, & qvidem ideo, qvod Præsides haberent singulae scholæ Prophetas pieratis zelo illustiores. Qvibus ex scholis eminuisse Rama sive Ramatha censemus idem. Qvibus accedit Hornius Hist. Philos. l. 7. c. 3. adserens: dispersis Judæis suas fuisse Academias & qvidem numero binas, Pumpeduntanam & Tiberiensem. In priorem verò libertatem adseritis Judæis ex Ergastulo Babylonicō, docendi munus devolutum

tum est ad Prophetas Haggæum, Zachariam & Malachiam, quibus jungitur merito jure Esdras Sacerdos & Nehemias Princeps, hisque accensendi sunt Viri Synagogæ magnæ, qui centum & viginti à Maimonide numerantur. Qvorum præses Esras habetur, cui proximus jungitur Simon Justus, qui alias Jaddi venit nomine, apud Iosephum, habens successorem Antigonum Zochæum, quem Zadoch & Bajethas excepere, summis ima miscentes, negando resurrectionem mortuorum, Angelos & animæ immortalitatem. Post Esram vero & cæteros magnæ Synagogæ viros, Philosophia Hebrææ, nullos penes statio tutior vel mansio quietior existit, quam Essenos, à mundi illecebris, inquinamentis & denique negotiis civilibus se abstinentes, veritati & studiis pietatis plurimum litantes, sed de his haec tenus. Breviter tantum de Ebrææ Philosophia partitione, quam Euseb. præpar. Evang. l. ii. c. 2. tripartitam esse voluit scilicet λογικὴν rationalem, Φυσικὴν naturalem & ἡθικὴν moralem. Qvarum illa 1. in simplici & dialectica 2. Symbolica & Ænigmatica. Ita in intelligibili & incorporea contemplatione ac sensuum Physiologia. Haec vero in vita recte comprehendendæ & conformandæ ad normam Dei voluntatis consistebat ratione.

## §. X.

**L**itteratis sic breviter Philosophorum Sacrorum sanctioribus adyatis, proximum est, ut pede, quo fieri possit, teleri, percurramus cursum Philosophorum reliquorum. Et siquidem usu recepto adprobata est divisio Philosophorum veterum in Barbaros & Gracos, idcirco eandem heic observasse, haud inconveniens duximus. Quinam vero Barbarorum nomine indigitentur, id evincunt veteres & recentes Philosophi, quibus faciunt manifestum, Chaldaeos, Aegyptios, Phœnices, Indos, Persas, Thraces, Scythas & cæteros, qui extra Graeciam nomina doctis annumerare possint, hocce comprehendi vocabulo. Ex his Chaldaeos sibi primæ tribuere in confessio est. Hi Magi, qui & Chaldaei dicebantur,

tur, fuere tales quales in *Ægypto* Sacerdotes ad Deorum cultum instituti: per omnem vitam philosophari, astrorum peritiam tenere, nunc auguriis, nunc carminibus sacris, mala hominis avertere, bono afficere, auguria, insomnia prodigiaq; fida interpretatione explanare solebant; dicti existimantur exinde qvod plurimi è patria Chaldaea nati, his disciplinis se traderent. Hi erant tales qui prædicebant, qvid cuiq; eventurum, & quo quisq; fato natus esset. Aut qvod in ea regione plurimæ fuerint Scholæ his Disciplinis dicatae, à qibus Astrologica Theoria instructi quasi prodeuntes, Babylonem accedebant, ut ex altissima quasi turri in exercitatione etiam eam funderent. Conf. Cic. l. j. de divin.

Qvod vel Apuleji testimonio l. 2. floridor. confirmatur, ubi ille: Chaldaei sideralem scientiam, luminum vagantium status, ambitus, utrorumq; varios effectus in genituris hominum ostendere consueverunt. Qvin hisce solis immorari non solebant, sed etiam nuncius verustatis Historiæ operam navabant.

Qvibusdam Philosophis occupatis in rebus Imperatorum gestis describens laudibusq; decantandis ut Curt. l. 5. laudes enim Regum magos canere solitos, inquit. Hic non silentio omitti debet Callisthenis Aristoteli data responsio, qui ab hoc erat rogatus, ut conquireret monumenta literaria, dum alii divitiis devictæ urbis avide inhiarent, se ei, scripsit, mittere cuncta, quæ reperire potuerit Babylonicorum monumenta, inter quæ & Historiam, quæ res gestas iorū annorum complesteretur. Unde putant viri eruditæ, plurima Babyloniorum suis scriptis inseruisse Aristotelem suppresso nomine, expresso tamen interdum, sed rarenter, ut lib. 2. de cœlo c. 12. ubi ait: similiq; ratione de ceteris etiam stellis loquuntur, qui earum rationem plurimis annis observarunt *Ægypti* & *Babylonii*, à qibus multæ fide digna de singulis sideribus acceptimus.

*Ægyptios* ab Abrahamo rectius instructos auctor est Josephus l. j. Antiqui: c. 8. facta Abrahamo facultate conversandi cum *Ægyptiorum* præstantissimis, Numerorum scientiam & fidem benignè illis comunicavit. Nam ante Abraharni ad se adventum, *Ægypti* has

has disciplinas ignorabant, à Chaldais enim profectæ ad Aegyptios, inde ad Græcos pervenerunt.

Ex Barbaris ergo seu Paganis excelluisse Aegyptios in Philosophia excolenda, vel Platone iudice in Timæo, ducimus. Qvum Solon ad Agyptum profectus esset, magno apud illos se prelio atq; honore suisce dicebat. Verum cum ipse de rebus antiquis incolas & sacerdotes illos rogaret, qvi illarum rerum præter ceteros peritissimi essent, comperit neq; se, neq; quemq; alium Græcorum de vera antiquitate quidquam unquam cognovisse. Hinc factum, ut qvidam seniorum sacerdotum diceret: Ἡ Σόλων, Σόλων, ἔλληνες αὐτὸν μένετε ἐστί, γέρως δὲ ἔλλην εἰναι εἶτι. O Solon, Solon, vos Græci semper pueri estis, senex autem Græcus non est. Imo Orpheus, Musæus, Melampo Dardalus, Homerus, Lycurgus Spartiata, Solon Atheniensis, Plato Philosophus, Pythagoras Samius, Eudoxus Mathematicus, Democritus Abderita, & Oenopidæ Chius, Thales item & Heraclitus Aegyptios adierunt, ad eorum Sapientiam imbibendam, exinde verò sunt reversi magno Scientiarum penu instructi, ipsisq; Aegyptiis honorem summum tribuentes. Qvare Macrobius hoc de ipsis fert judicium: Aegyptios esse parentes omnium artium ac scientiarum Philosophicarum.

INDORUM Philosophi, Gymnosophistæ communiter appellati, in duo genera dispescuntur, Brachmanarum & Sarmanarum vel auctore Strabone l. 15. in Brachmanes & Germanes. Brachmanni hæreditate acceptam Sapientiam excolentes in magno honore erant, qvod Dogmata rationi valde consona soverent. Hi erant tales, qvi rerum illecebris nullis capiebantur, nihil adipetebant amplius, quam ratio naturæ flagitabat. Facilis hisce vietus, non quem luxuriæ sagacitas per omnia Elementa perquisivit, sed quem tellus ferro inviolata produxit. Una genti lex erat, contra jus non ire naturæ. Libidini membra ad debilitandum non tradebat. Apud Sarmanos usus hic invaluit, non admittere in consortium & cultum Philosophiæ secum Sapientum ab origine prognatos, sed alios, qvibus sanguinis cognatio non erat cum iisdem. Ex his Hylobii in Silvis solitudinibusq; sub dio-

degentes solis arborum foliis vel tortice amicti, nudi ac vagabundi philosophabantur, unde Nomen Gymnosophistarum ipsis erat inditum.

Qvod hisce solis competens, in reliquos etiam, mora temporis accedente, est derivatum. De quibus Apulejus florid. l. 3. Est gens apud illos præstabilis, Gymnosophista vocantur. Hos ego maximè admiror, qvod homines sunt periti, non propaganda viris, nec inoculanda arboris, nec proscindendi soli. Non illi norunt arvum colere, vel equum domare, vel taurum subigere, vel ovem, vel capram tundere, vel pascere. Quid igitur est? Unum pro hisce omnibus norunt, Sapientiam percolunt iam Magistri senes, quam Discipuli minores. Nec quidquam apud illos aquè laudo, quam quod torporem animi & otium oderunt. Igitur ubi mensa posita, priusquam edulia adponantur, omnes Adolescentes ex diversis locis & officiis ad dapem conveniunt. Magistri perrogant, qvod factum a lucis ortu, ad illud diei bonum fecerint. Hic alius se commemorat, inter duos arbitrum delectum sanata similitate, reconciliata gratia, purgata suspicione, amicos ex infensis reddidisse. Inde alius parentibus sese quidpiam imperantibus obedisse: Et alius aliquid meditatione sua reperiisse, vel alterius demonstratione didicisse. Inde ceteri commemorant. Qui nihil habet adferre cur prandeat, impransus ad opus foras extruditur. Præ reliquis omnibus, Philosophia eorum hunc sibi finem habuit præfixum, ut bonam vitam, mors pia terminaret. vid. Hornius in Hist. Philos. l. 2. c. 9. dicens: Indi nihil antiquius habuerunt, quam Sapientiæ, neglectis cæteris rebus, operam dare.

PHOENICES ab Hebræis ut putant quidam, edocti rationem solaris, lunarisq; motus, aliaq; ad Astronomiam pertinentia plurima, vid. Procop. l. 2 de bell. Vandal. his addiderunt iñdies alia experientia ipsa aucti, sicuti artes mechanicas varias, cum Geographia, Navigatione & Philosophia naturali. Literarum usum & quidem ante adventum Israëlitarum in Ægyptum, quales literas Chinenses hodie habent, Hieroglyphicas scilicet, ipsis non ignotum fuisse, sunt qui rationibus non destituti suis, sentiant. Qvin literarum eos participes factos ab Abrahamo probabile est,

qui à Patribus antiquis, quos Seth & Enos instruxerant, in iis, quæ iporum scientiam redderent auctiorem, ea hauserat, quæ aliis communicaret. His etiam adscribitur Cynosuræ prima inventio, sicut & Heliotropii usus, nec id ipsum mirum existimat Bochart. Phaleg. l. 4 c. 35. dicens: *Tyri & Sidonis incolis indulserat Deus ingenium acre, vividum & ad omnia flexible. Arithmeticæ & Astronomia ab his manarunt ad Græcos.* Et ut râceam recentiores, Sidoni Mochus de Atomis philosophari cœpit ante Trojani belli tempora. Et Ab-demonus Tyrius quæstionibus propositis Regem Salomonem provocare ausus est. Sed præcipua celebritas ex mechanicis artibus. Tyri mixtura purpuræ; Sidone vitraria & textura sindonum ex lino tenuissimo feruntur inventa primum. Et Fabrorum peritiam impenselaudat Salomon literis ad Hyram Tyri Regem. i Reg. 5. 6. Nostri non esse quemquam inter nos, qui sciat cædere ligna, ut Sidonii. Hinc est, quod Homerus eos adpellat πλυδαδάλες, & siquid concinnum in vestibus aut vasibus factum, id tribuere solet Sidoniorum industria.

PERSARUM Philosophi veniebant nomine Magorum, à Zoroastre originem falso trahere existimatorum, cum hic Magiæ fuerit adsertor & promotor, cui inditum nomen Mog, unde Magus deducitur, probabile aliquibus videtur; Magis his Philosophia cum Imperio Babylone deducta cessit in obseqvium. Hos inter Philosophia, quæ receptissima Politica & Theologica viguit, istis existentibus interpretibus divinarum & humanarum legum. Præter divinas humanasq; leges excoluerunt omnes disciplinas, coeli naturæq; scrutantes variantes vices. Reges Principesq; Famæ inse-rebant, eorum res gestas, variosq; casus literarum perennitati commisere. Et si fides Cic. de Natura Deor. l. 3. sit habenda, tenendum est, neminem imperium Persicum obtinuisse, nisi eum, qui bene instructus fuit in Magorum disciplina. Hi erant tales, qui τὰ βασιλικὰ docuerunt, & Reges de modo gubernandi instruxerunt. Quidam etiam auctore Porphyrio Numinis ministri audiunt, circa divinationes occupati, quæ illusiones & fraudes erant Diabolicæ, quibus seducere mortales circumventos dolis adsoleat.

D

Esse

Esset itidem heic locus agendi de Phrygum, Aethiopum & Libo-  
rum Philosophia, nisi tempore exclusus ad Europas me conferre  
propius juberer, fide, cui me obstrinxii, jam persolvendâ.

### §. XI.

**H**æc in oriente eiq; vicinis locis; jam ad occidentem & septem-  
trionem. Heic videbimus floruisse Romanos, Druides & Skal-  
dos; illos in Italia, istos in Gallia, præcipue & Britannia, hos vero  
in Scythia Septentrionali Sveo-Gothia. Ad Romanos una cum  
imperio Philosophia migravit ē Græcia. Heic in Italia caput susti-  
lisse Philosophiam notius est, qvam ut qvisq; in dubium id  
vocare debeat, qvi Ennii, Plauti, M. Terentii Varronis, Catonis,  
Cæsaris, Pompeii, Virgilii Maronis, Horatii Flacci, & instar  
omnium Ciceronis & Pomponii Attici simul & Hortensii mentio-  
nem audivit. Qvam vero faciem induerit Philosophia sub Impe-  
ratoribus, nunc Mathematicis Italia proscriptis & ejectis Phi-  
losophis omnibus; nunc iisdem revocatis; nunc his in seistas divisis,  
Stoicam videlicet, Epicuream, Platonicam, Aristotelicam, &  
Eleaticam, non fert ratio instituti nunc exponere.

De DRUIDIBUS, eorumq; Philosophia scripsit Cæsar C. Julius in.  
de Bell. Gall. VI. Lib; hunc in modum: *Disciplina in Britannia reperta,*  
*aig; inde in Galliam translata esse existinatur.* Et nunc qui di-  
ligentius eam rem cognoscere volunt, plerumq; illò dicendi causa profi-  
ciscuntur. Hi Druides erant ejusmodi Philosophi, qvi præter  
Philosophiam naturalem etiam moralem exercebant. Nec Aca-  
demius caruisse eosdem probari potest, vel ipsius Cæsaris testimo-  
nio: Ad hos magnus Adolescentium numerus Disciplinæ causa  
concurrit, magnoq; ii apud eos sunt honore. Nam fere de omni-  
bus controversiis publicis privatisq; constituunt. Et si qvod est  
admissum facinus, si cædes facta, si de hæreditate, de finibus con-  
troversia est, iidem decernunt, præmia pænasq; constituunt.

Horum studia præprimis erant posita in Medicina, Magia, Poëti-  
ca & Rhetorica, nec non Metaphysica, sc. supernaturali, Deorum  
cultu,

cultu, animæq; immortalitate, qvibus erat persuasum, animas non interire, verum *μηδεν λόγων* dari, philosophandi interea utentes modo *Anigratice & Symbolico*, nec scripto placita sua consignantes, sed binas ob causas, de qvibus Bochart l. 1. c. 42. hæcce omittentes. De qvibus item Strabo plurimus. Causam autem reddit Cæsar. lib 6. qvare hi Philosophiam scriptam non existare voluerint: *Neg. fas esse existimant, ea literis mandare, cum in reliquis ferè rebus, publicis privatissq; rationibus, Gracis literis utantur.* Id mibi duabus de causis instituisse videntur. Qvod neg. in Vulgus disciplinam efferri velint, neg. eos qvi discunt, literis confusos, minus memoria studere. Qvod ferè plerisq; accidit, ut præsidio literarum diligam in disendo, ac memoriam remittant.

HYPERBOREOS seu Sveo-Goþhos nostros pristinis temporibus valuisse etiam ingenii, neminem nisi in eorum Antiquitatibus plane hospitem vel gloriae populi solertis ac bellicosi detraherendæ valdè avidum inficias iturum autumo. Qvamvis non nemo sit inventus, qvi importuna sua censura hoc eis denegare non erubuerit. Et sanè mirari convenit hunc qvorundam morem perversum, qvibus nihil antiquius vel jucundius est, qvam traducere hancce vel alteram Nationem ob incultam Barbariem, cui immersam esse & fuisse somniant; ac si cœli & soli in septentrione damnato pruinæ & frigori genius non posset ferre ingenia acuta studiisq; majoribus apta imo exulta, cum vel ipsa teste temporum historia eorumq; monumentis evincentibus aliter eos comparatos fuisse constet.

Nec est existimandum, omnem Sapientiam penes Chaldaeos atq; Orientem fuisse; etiam occidentis ut & Septentrionalis plagæ homines fuere λογιαὶ ζῶα, ut Celeberrimus D. Kirchmajerus alicubi scribit. Imo Svecis naturam minime novercam, sed & dispersiendi ingeniorum dotibus perqvam benignam matrem contigisse, sufficere vel unius Prof. Upsal: b. m. Schefferi, in sua literata Svecia, testimonium creditur. Qvod etiam rationibus non contemnendis probabimus, re exserentes ipsa, ingenia Scytharum & Gothorum nostrorum non minus arte, scil. Scientiis, quam Marte

valuisse & excelluisse. Hoc & ipsum produnt Skaldi, qvorum cuncta si monumenta superessent, adcurateq; exposita ad nos transmissa, nullum esset dubium, qvin cum plurimis in Europa Populis Sapientia laude & rerum gestarum gloria certarent. Skaldi hi à Skali Gothis significante sonum deducuntur, unde Skalla gāð i Skali venari significat: ratio redditur, qvia venantes vociferatione & clamore cornuum ac tibiarum sonitu, canumq; venaticorum strepitu peragere opus adsoleant. Hi Skaldi sive Runæ fuerunt Poëtae veteres, eo loco apud Reges & Principes antiquitus, qvo jam Consiliarii literati, aliiq; prudentia & rerum usu præstantes. Wormius in Append. lit. Run. Qvorum scripta & carmina, qvibus factum aliquod in patria vel exteris exponebant, non semper eandem naturam sive faciem induerunt, de qvibus b. m. Verelius antiquitatum Gothicar. adsertor fidissimus in notis ad Hervarar Saga egregiè: Antiquiorum enim simpliciora fuere, ita ut inter ista & solutam Orationem parum interesset, excepta verborum structura, pro literis harmonicis (*Samstafar*) rectè collaudis. Postiores vero Scaldi rythmum magis adstrinxerunt, verborumq; trajectionibus longioribus & peculiari Charactere insigniverunt. Qyod artificium, ut in magno pretio fuit, ita Carminibus vulgo jam minus intellectis, interitum acceleravit. Hanc qvi artem melius excoluerunt, tam prompto erant in iisdem inventiendis & expromendis, ut qvidvis ex tempore verbis selectissimis congekatum rythmis artificiois & odis proferre & decantare valuerint, omnia admistis fabulis, & aliis Allegoriis admirabiliora reddentes. Vid. Worm. in fastis suis Runicis.

M. Brynolphus autem. Sveon. Epise. Scalholt. refer res in p̄fat ad Eddam. memoriae prodit notatu digna de Antiqua Sveo-Goth. Sapientia, dicens: *Ubi enim ingentes thesauri totius humana Sapientia conscripta à Semundo Sapiente?* Et in primis nobilissimâ illâ Eddâ, cuius vix millesimam partem reliquam nunc præter nomen habemus? *Ubi vero ingens volumen Historiarum ab Odino ad sua tempora contextum, ab Ario Polyhistore dicto?* *Ubi Regionum per totum Arctoum orbem Poëtarum admiranda carmina?* De cætero, Runarum & artis Scaldi-

cæ inventio, ad tempora prioris Attini referri jure merito creditur, qvæ incidisse in annum mundi bis circiter millesimum volunt Celeberrimus D. Rudbeck in Atlantic. c. 7. & 37. supput, Chronolog. ut & Verelius in Runo-graphia c. 6. Scaldorum Poësis natura magis qvam arte constabat. Et licet in eorum pœmatibus omnia Schemata Grammatica & Rhetorica inveniantur, sola tamen ingenii felicitate & abundantia ea pepererè, qvæ & ipsorum ævð aliis admirationi suère, qvæ & jam hodie admiramur. Qvorum Rhythmorum genera vulgo centum triginta sex esse putantur, de qvibus itidem Worm. in Append. Nec origo Runarum petenda esse videtur à Græcis vel Hebrais, qvæsi cæteræ omnes gentes sine ratione essent, qvæ nihil præclarè invenire, nihil proprii habere possint. Verel. in Runograph. c. ii. Qvino Orpheum & Musæum Argonautas Gothicæ fuisse originis probare conatur Scheringhanus de Anglicæ gentis origine: qvi omnium fermè, qvi Græcè scripserunt, & qvorum opera nunc existant, antiquissimi sunt. Ab his Græci primum disciplina instruti, moresq; eorum, cum antea rudes essent & agrestes in melius formati: ab his Musica vetus Poëseos & cantandi ars inter Græcos inducta est. Strabo Geogr. l. i. ο. ἐπιμελιθέτες τῆς ἀρχαίντος θρακίης θρακες λέγονται Ορφεὺς τε καὶ Μιωτῆς καὶ Τάμυρις. Qvi antiquam procuraverunt Musicam, Thraces perhibentur Orpheus & Musæus & Thamyris. Eos, qvi veniant nomine Thracum, designat Scheringhan. c. 17. nempe nullos alias quam Gothos, qvi in veterum Thracum à se expulsorum loca successerant. Sic Menander Comicorum Poëtarum Princeps, qvem Barthius orbis Doctorum appellat, fuit Thrax & Geta, si ejus de se ipso apud Strabonem testimonio credendum sit, ubi sic infit:

Πάρτις μὲν ὡς θρακες μάλιστα δὲ ἡ Φέτα,

Ημεῖς ἀπάντων [καὶ γὰρ ἀυτὸς ἔυχορεις

Ἐκεῖθεν εἴη τὸ γενόντος σφόδρα ἐγκρατεῖς ἔσμεν. i. e.

Omnes enim Thraces, Geta sed maxime,

Nos omnium (nam inde glorior genus

Meum esse) continemus à mulieribus nos non satis.

Addi potest Herodoti testimonium egregium in Melpomene pro Scytharum Sophia: οὐπ γάρ εἴθι τῶν εἰντὸς τῆς πόντους ἔδει ἔχομεν παραβάλλειν οὐφίης περὶ ἐδεῖ αὐτοῖς λογίον οὐδαμεν γενόμενον, παρετεῖ Σκυθικῆς εἴθι καὶ Ἀναχάρσιον. Neque Gentem ullam earum, quæ circa pontum sunt, proferre possumus sapientia celebrem, neque ullum virum novimus sapientem natum, præter nationem Scythicam & Anacharsim. Et alio loco Herodotus cum Procopio hæc de Gothis nostris habent: Gothos fuisse Thracum ac Barbarorum fortissimos; qvippe qvibus nec animus nec disciplina militaris omnino defuit. Tanta fuit Scythicæ gentis moderationis, tantus amor justitia, prorsus ut admirabile videatur hoc illis naturam dedisse, quod Graci longa sapientum doctrina preceptisq; Philosophorum consequi nequiverunt. Justin ex Trog. Comp. His accedit Testimonium Strabonis de situ orb. l. 7. sic memoria proditum ex Getharum (Gothorum) gente, quempiam nomine Zamolxis servisse Pythagora, & celestium rerum aliquas ab eo didicisse. Cumq; ad Egyptios usq; peregrinatus errasset, quadam etiam illorum acceptisse, cumq; suam revertisset in patriam magna in charitate apud principem nationemq; habitum, qvid portenderent signa praesagientem. De Samolse primo Getarum seu Gothorum Legislatore edidit Prof. Iuris patrii in Acad. Upsal. Celeberrimus & Consultissimus Dominus Carolus Lundius opus egregium, in quo rationibus evidenter probat, Græcos leges, literas & multam suam Sapientiam petuisse a Gothis, qvibuscum commercia tam studiorum quam aliarum rerum longo tempore ipsis intercedebant, ad qvos etiam sèpius commebabant ad consulendum Deos, Thorum, Odinum & Friggam, qui Latinis erant, Jupiter, Mercurius & Venus. Apollinem ab Hyperboreis venisse testis Cie, in de Natura Deor. quod etiam Poësis Runica cum Fabulis Græcis consentiens evincit. Junius item ad Ulphilam vult a Lingva Græca Gothicam differre sola dialecto, quæ etiam sententia fuit nobilissimi Stiernhielmii in præfata Anti-Cluverii. Egregie quoqvæ Salmarius de Hellenistica, de Teutonica, Græca, Persicaq; agens lingvis: Qvænam earum trium antiquior sit, & reliquis duabus ea nomina communia & ab eâdem de-

descendentia origine) tradiderit, haud facile dictu est, & nisi tunc vi-  
deatur pronunciare Gracos à Scythis ea accepisse, idz certius statui pos-  
test, homines primos, qui Graciam populis repleverunt, & Græca lingua  
auctores fuerunt, è septentrionali plaga & Scythica advenisse. Namq;  
sexaginta Annis ante destructam Trojam, seu anteqvam Aeneas ye-  
niret in Italiam tum Gothos & Sveones literas Runicas habuisse  
certum est ex inscriptione Saxorum, qvæ erecta apud nos legun-  
tar in honorem eorum, qvi, facta emigratione, bello occubuerunt  
in Græcia, qverum Gothorum magnam partem bello Trojano in-  
terfuisse, loqvuntur historiæ. De Skaldis prodiit tractatus non  
ita pridem Upsaliæ, qvi legi meretur ob testimonia, qvæ prefe-  
runtur ad vindicandam laudem Patriæ Sveo-Gothicæ, cui etiam  
addetur destinatus Tractatus de Antiquitate Populi Sveo-Gothici,  
qvem datâ occasione in lucem emittere constitui.

### S. XII.

Græcanica Philosophia ordine iam prodit seqviori, qvippe qvæ  
tempore sit posterior reliqvis ferè omnibus. Nec est qvod Græci  
inenarrabilem sapientiæ suæ antiquitatem extollant, cum eorum  
Philosophia & Sapientia vix balbutiens ab Asiaticis, Babyloniis  
Indis & Ægyptiis secundum alios, acceptum ruminatum cibum  
avidè devorarit, & in sanguinem succumque suum converterit,  
a quo id qvod sumnum tandem obtinuit robur adepta est. Euse-  
bius Solonem à Barbaro qvodam eruditum inducit, exindeq; univer-  
sim de omnibus Græcis Philosophis pronunciat: sed vario  
huc atq; errore jactati, ac toto vitæ suæ tempore discursan-  
tes, ex alienis sibi plumis, ut est in fabula, cultum atq; or-  
natum qværebant, adeo qvidem ut ex precaria stipe sua jam illis,  
Philosophia fere constet universa. Huic adstipulatur Clemens  
Alexandr Strom 5. dicens: Græcorum furtum ex Barbara sum-  
tum Philosophia. Græci veteres quoq; idem testantur, nou-  
solum suos olim homines, sed Ægyptios etiam ad Hyperbo-  
reos profectos, indeq; Deorum sacra petuisse. vid. Diodor. Siculus

I. 2. c. 47. **Philosophia** hæc erat vel eorum, qui nulli certæ Sectæ erant addicti, ut septem Sapientum Græciæ, circa tempus Servii Tullii degentium, vel certæ alicujus sectæ Conditorum. Qvorum Philosophia distribuitur in Sectas tres: *Poëticam*, *Jonicam & Italiam*. Vel secundum Scheffer. in lib. de Philosophia Italica, in quo dividit Græcanicos in tres sectas *Jonicam*, *Italicam & Eleaticam*, hasq; rursum in minores alias. Vel secundum Vossium in *fabulosam & non fabulosam*.

POETICA sive fabulosa vetustissima est, qvæ ad quinque ætates referri potest. *Prima ætas* complexa est genus illud vetus, rude & incultum, qvod sui tantum suspicionem, ut loquitur Scaliger, sine nominis memoria reliquit, nisi in eo, tanquam princeps, Apollo censematur. *Secunda ætas* tribuitur Epicis, carminibus Historias, Doctrinas Ethicas, Physicas, Astrologicas, Politicas comprehendentibus. Qui erant Poëtae, Orpheus, Linus, Homerus, Hesiodus, Aratus & alii. *Tertia ætas* floruerunt Gnomologi, Sententiis illustrioribus ac regulis vite instituendæ delectati, quales erant Phocylides ac Theognis. *Quarta ætas Lyricorum* erat, qui Græciæ florentis occupataeq; jam in ludis & conviviis variis exhibendis, imaginaria certamina, in iisq; Victores versibus & laudibus commendarunt. Hujusmodi erant Pindarus, Simonides, Anacreon, Bacchylides, Sappho & alii. *Quinta demum* seqvitur ætas eorum, qui Dramatici, Tragici videlicet & Comici, itemq; Satyrici vocitantur, carpere vitia seculi degenerantis, & à tramite Virtutis declinantum Civium soliti, præceptaq; simul Virtutum intermiscentes, propositis in utramq; partem exemplis. Et hi erant Aristophanes, Menander, Eschylus, Sophocles, Euripides.

JONICÆ Princeps fuit Thales Milesius, Anaximandri Præceptor, unus illorum Septem, qui adpellati sunt Sapientes. Verum sectæ autor fuit existimatus Anaximander Milesius, qvod propter ea factum, qvia Thales nihil scripsit, sed solo discendi non docendi proposito Græciam Asiamque peragravit. Scheff. Phil. Ital. Quem exceptit Anaximenes Milesius, hunc Anaxagoras Clazomenius, cuius Auditor fuit Archelaus, Socratis deinde Magister, de quo Clemens

mens Alexandr. - Hæc Secta Jonica contemplationi maxime indulgebat ad Socratis usq; tempora , qvi eam sic temperavit , ut vita Civili excolenda perficiendæq; conducebat. Hic erat ille , quem Cicero summa cum veneratione Parentem & Principem Philosophorum nominavit : cujus excelsus animus admiranda Sapientia exornatus ferebatur vi qvadam exultia ad virtutem solam. Et siquidem ei mos erat philosophari , nunc in fero , nunc cum aliis aut bibens aut ludens , nunc in Carcere , prout fors ferebat , ita quoq; nulla voluit extare ingenii monimenta consignata scripto. Hic demum accusatus impietatis à Mileto Phiteensi Auditore suo , qvod negaret multitudinem Deorum Atheniensium , alia que nova dæmonia induceret , capitis damnabatur. Cujus ex Schola prodiere sectæ sex , qvarum 1. Platonica sive Academica & Aristotelica. 2. Cyrenaica. 3. Eliaca. 4. Cynica & Stoica. 5. Megarica. 6. Pyrrhonica sive Sceptica , Xenophontē interim & Æschine preesse Socratis addictis placitis , non tam Philosophis , qvam Oratoribus merentibus annumerari. Harum 3. scil. PLATONICA sortita ab Auctore nomen , qvi Plato erat , cum Socrate annos octo degens , qvo tempore Præceptoris Philosophiam scriptis commisit. Post mortem vero Socratis sese Cratylō & Hermogeni applicauit.

Nec heic contentus adquisitâ scientiâ , sed ulterius progredi contendens in Italiam primum , ubi Pythagoræ haustis placitis deinde Ægyptum perrexisse dicitur. Unde factum est , ut mixtura qvædam Sectarum invehetur , qvæ Academicæ & Peripateticæ vene nominis. Qvarum prior scil. Academicæ erat in villa propè Athenas loco nemoroſo & subpalustri , ac ideo insalubri , possessa olim ab Academo Herœ ut Ludov. Vives in August. l. 8. c. 12. Ab Hornio vero Censore in Hist. Philos. l. 7. c. 3. è diametro sententia alia adfertur de Cadmo , qvi nomen eidem pepererit. Hæc Academia erat ædificium nobile , amplum , amœnum , multis consitum arboribus umbras præbentibus.

ACADEMICA igitur in Veterem , medium & novam dispescitur , qvarum illa 1. Sensibus externis omne judicum denegans , 2. Menis

¶ Platone Idea dicitur veritatem rerum adsignans. 3. *Omnem* notitiam incertam esse ob tarditatem sensuum docens, sequentes habuit Patronos, scilicet 1. *Platonem*, qui Pythagoram in multis sequitur vid. Scheff. p. 38. c. 6. Quamvis ab Socratis & Heracliti placitis non discesserit in aliis multis. Platonis est lib. 2. *Politici*. hoc egregium de cavendo peccato. Omni contentione esse pugnandum, ne quis in Civitate, quam bene regi volumus, vel dicat vel audiat, sive senex sive juvenis, sive in poëmate sive in alia Oratione Deum esse causam peccati, quod neque ita sanctè dici potest, neque utile est moribus, neque secum consentiat. Qvia etiam Plato, cumque eo ejus Sectatores pie magis quam plurimi alii de Deo differentes, omnia in Dei dilectionem studiosissime transtulere, quod ex M. Ficini testimonio constare optimè potest. Sicuti in hoc laudatur, ita etiam in illo vituperatur, quod Meum & Tuum sustulerit; Attamen, quoniam ipse cum aliis Philosophis a culpa non possit liberari, excusari ad minimum meretur: qvia sicuti nullus, ubi dici solet, grec sine discolorate bove, nulla stirps sine labe, aut virtuosa prole: sic nulla in Philosophia Secta omni prorsus navorum destituta est inventa. 2. Specissimum ejusdem Sectæ auctorem verum & Xenocratem Chalcedonium, a primis Annis Platonis Auditorem. 3. Polemona. 4. Cratetem. 5. Crantorem.

Ifsæ sive secunda, Arcefilao gaudet Crantoris Discipulo, qui dicto Socratico abusus, quo nihil se scire, nisi hoc unicum quod nihil sciret, professus, cuncta incomprehensibilia esse adstruxit, contendendo. 1. Nihil percipi posse. 2. Assensum in omnibus esse suspendendum. 3. Äque omnia incerta, obscura & incognita, & probabilia in utramque partem. II. Lacyde Cyrenæo. III. Telocle. IV. Evandro. V. Hegesino, qui Hegesilaus est Clementi Alexandrino, dogmata hui omnes soventes sere eadem cum Scepticis & Pyrrhoniciis. *Hec*, sc. tertia auctore Carneade Cyrenæo, qui Hegesino successit, invecta. Hic 1. verum simul & falsum in rebus admittit, sed facultatem in nobis verum a falso discernendi denegavit. Nec hæc diu duravit, ultima fata sua videns in Clitomacho Carthaginensi, successore Carneadis. Addunt & quartam, quæ sub-

Sub Philone & Charmida, & quintam qvæ sub Antiōcho Philonis Auditore floruit, sed mox ambae in ipso quasi herba cum ipsis extinctæ sunt.

1. PERIPATETICA ab deambulationibus dicta, qvod vel Cicer. teste i. Acad. probatur. Qvi erant cum Aristot. Peripatetici dicti sunt, qvia disputabant inambulantes in Lyceo. Aliter Hesych. & Laënt auctoribus, Peripatetica Philosophia dicta est ex eo, qvia cooperit ab Arist. docente in Xysto, s. horto deambulationi apto. Hæc à principe suo Aristotele incepta usq; dum excolitur. Librorum Aristotelis alios ἀκροαταῖς sive ἀρχαιτικὲς, alios ἐξωτερικὲς dictos fuisse, nemini latere vel tantillum in iisdem versato credimus. In his rō ēn docebatur, vel Minerva pingviori rationes reddebantur; In illis vero adcuratè omnia Discipulis genuinis tradebantur. De cætero ἀκροατικὰ proponebantur mane, & qvidem inambulando. ἐξωτερικὰ vero vesperi, Agellio l. XV. c. 4. suffragium ferente. Sed observandum est hunc nostrum Aristotelem diversum planè abiisse à Præceptore Platone, ipsumq; in multis vexasse ac negotium facessisse. Qvod vitium peculiare, ut plurimum, magnis nominibus esse suavit, ut quantum videant aīorum gloriam augeri, tantum de suo splendore commixui ac decrescere suspicentur. Hinc inde Laënt. prædictum adfert Platonis, Aristoteles, inquit, in eos recalcitravit, ut in matrem pulli.

2. CYRENAICA ab Aristippo Cyrenæo, qvi in aula Dionysiorum vixisse perhibetur, nomen est indepta, cuius doctrina in eorū præcipue posita, qvod voluptati Corporis nimium tribuerit, nihilq; natura justum dari sed legibus statuerit, huic deinceps adhæsit Epicurus.

3. ELIACA seu Eliensis, qvæ Auctorem habet Phædonem Eliensem, qvem sequtus Euclides Megaricus, Eristicorum seu Mæricorum Philosophorum antesignanus.

4. CYNICA, vel ob candidum Canem, qvem in Gymnasium secum adducere consuevit Antisthenes Atheniensis, Socratis Discipulus, vel etiam à canis virtutibus aut vitiis, ei qvæ adscribi so-

leat, sic appellata; vel, qvod verosimilius videtur, à severitate sua in vitio redarguendo & virtute defendenda. Cynicis enim more receptum erat, tam malos invadere & allatratere, quam bonos tueri & favere. Notandum tamen est, communionem & familiaritatem inter Cynicos & Stoicos intercessisse; ipsi verò Corporis habitu externo, & interna animi modestia discrepantes. Hinc igitur factum, ut Zeno Cittieus, Sectam Cynicam relinqvet, Stilponi Megarico Philosopho se adjungens, à quo ad Xenocratem pertendit, auditurus deinceps Polemonem Academicum. Hic est ille Zeno, qui sibi felix est visus, qvod amisis ad Praeium ufragio mercibus, per fortunam protritus sit, ad Philosophiae Studium: perdidit purpuram, & invenit cunctis rebus pretiosiorem Sapientiam. Erasm. in Epist. A Zenone autem

**STOICA** Secta orta est. Cujus sectatores Zenonii appellati, postea Stoici a στοιχη πορτικα, ubi docuit Zeno. Horn. Hist. Philol. l. 3. c. 16. contendit Zenonem ex Phoenicum monumentis & mysteriis hausisse contemplationes suas priores, quæ Divinæ veritati convenient. Nec tamen diffidendum esse retur Clemens Alex. part. 2. l. 3. c. 1. Sect. 1. §. 1. Stoicos quam plurima Dogmata, non immediate ab Ebrais, sed a Socrate & Platone duxisse.

Hujus successor fuit Cleanthes Assius, alias Φεάντλης dictus, qvod noctu aquam, interdiu verò Philosophiam hauriret. Hunc exepit Chrysippus de quo Cic. in de Fin. c. 1. hoc judicium fert: Chrysippum nihil Stoicæ Philosophiæ prætermissee. Et Laert. ἡ μῆνη γὰρ τὸν χρυσίων Οὐρανὸν καὶ τὴν σοὶ. Nisi esset Chrysippus, Stoia non stetisset. Hic memoratur plurimum Logicæ deditus, qui solius Logicæ partis volumina relique ritecenta undecim. Imò verò, si fides ad struenteribus habenda sit, volumina reliquit septingenta & quinqve. Quem sequtus Diogenes Babylonius, & hunc Antipater Sidonius, item Zenodus, Panætius, Posidonius, Asclepiodotus, Apollonius. Qvin imo Stoici Cynicam Sectam ad quandam mediocritatem reduxerunt.

Ex omnibus vero hujus Sectæ Scriptoribus, qui supersunt, eminere Senecam, cuivis in Scriptis ejus vel tantillum versato notum est. Qui Epist. 120. Sapientem suum describit: eum, qui idem est

sem-

semper, & in omni actu par sibi, jam non consilio bonus, sed  
more eo perductus, ut non tantum recte facere possit, sed nisi  
recte facere non possit. Idem Epist. 20. Sapiens est is, cuius verbis  
opera consonant, ut & ipse ubiq; par sibi idemq; sit. Et infra:  
Sapiens semper idem vult, & idem non vult. Cic. in parad. 2. huic  
consentit dicens: Sapientem in secundis rebus unum ex fortunatis  
hominibus esse, inq; adversis unum ex summis Viris. Et, ut pau-  
cis: Stoici affectus omnes, qvorum impulsu animus commovetur,  
ex homine tollunt, inqviebat Laetant. Instit. 1. 6. 14.

5. MEGARICA ab Euclide Megarensi sic vocata cujus Studiosi  
Eristici sive contentiosi & Dialectici appellati, priori digni nomine  
ob studium acre contendendi. Ex hac secta prodiere Eubulides  
Milesius, Clitomachus Thurius, Stilpo, Alexinus, Apollonius &  
Diedorus.

6. PYRRHONICA seu SCEPTICA σκεπτική Græc. dicta, qvia  
semper σκέψονται h. e. rem considerant, nunquam deceperunt; à  
philosophandi ratione sic nomen indepti, qvod semper contemplan-  
tes nihil conculserint, & hinc Aporetici & Ephectici ab eventu dicti,  
qvod post inquisitionem rei assensum non præbuerint. Qvæ etiam  
igitur proximè ad Jonicam, & in ea maximè medium Academicam  
referenda est. Nec quidquam hodiè ex ipsius Sectæ Philosophorum  
scriptis superesse cernimus.

### S. XIII.

ITALICA vero Secta principem habuit Pythagoram Samium  
Mnesarchi annolorum sculptoris filium, qui ex Lectionibus  
Pherecydis Syri magnis sapientiae incrementis firmatus in Ægy-  
ptum profectus, ubi haustis ex sermonibus Sonchedi, Oenuphisq;  
Heliopolitæ, aliorumq; Sacerdotum, intimerum naturæ recessuum  
fontibus, ut & Ceremoniarum in credendis potentiss (secundum Apulej.  
flor. l. 2.) numeroram admirandis vicibus & Geometria solerterissimis for-  
mulis, tanto cum ardore ac discendi flagrantia ea adprehendit, ut univer-  
sam philosophandi rationem ad eorum in philosophando normam possea dir-  
rigeret:

rigeret. De quibus scripsere Diogenes Laert. in vita ejus. Just. l. 20.  
Hinc ad Arabes, Chaldeos & Hebreos, Phoenices & Indos est profec-  
tus. Hic est ille, qui primum renunciavit arroganti illi pristino, quo  
se insigniebant, σοφοι sive sapientis nomini, professus novo & inu-  
sito se Philosophum nomine; unde palam fecit, quanta ipsius, sub-  
simioribus sapientum mysteriis imbuti, fuerit modestia. Tandem post exortatos maximos labores in Patriam Samum revertit,  
ubi plures numero instruebat doctrinæ suæ Sectatores & Disci-  
pulos. Et quoniam multitudini de variis eum consulentium resistere  
non posset, relicta patria, concessit in Italiam, eamque partem in-  
sedit, quæ magna Græcia dicebatur, quam publicè & privatim  
exornavit præstantissimis artibus & institutis. Hanc ob causam  
accensuere Clemens Alex: cum Vossio Italicam Sectam Græcanicæ;  
quod Lipsius improbat, à Græcanica & Barbarica distinctam planè  
volens. Ast Schefferus in Philos. Ital. plurimi eam effert enco-  
mii, inquit: *Hec Secta est, à qua quidquid eximium pene habetur  
in ceteris cœu ex capite soncū decurrit.* Dogmata, quæ præ ceteris in-  
culcabat, erant præcipua hæc i. μετεμψύχωσις. 2. Autoritas ejus lo-  
co principii; unde τὸν ἀυτὸν ἄριστον, primis annis damnatis auditoribus  
silentio; quibus exactis liberum cuique erat judicij exercere vi-  
res. Ex Schola hæc prodiere Philosophi majoris existimationis,  
ut 1. Telaugas 2. Xenophanes Colophonius, autor Sectæ Eleaticæ  
cujus major pars dogmatibus Pythagoricis fuit addicta, teste Laert.  
3. Parmenides Eleates, à quo nomen indepta, auctore licet exis-  
tente Xenophane. 4. Melissus & 5. Zeno Eleates inventor ut exi-  
stimatur Dialetics. 6. Leucippus ejus auditor. 7. Democritus.  
8. Epicurus &c. Unde colligi licet, quod

ELEATICA Secta floruerit hisce sub recensisit Philosophis. Epicurus autem scripsit versibus, secutus Mythicam Philosophiam,  
sed Thaletis & Pythagoræ opinionibus contraria dogmata pro-  
fessus.

EPICUREA secta nomen habens ab Epicuro conditore, pleraque  
sua placita desumit ab Eleatica, teste Cic. l. i. de N. Deor. Physicis  
& Ethicis magnam impendisse operam videri voluit, quamvis pe-  
stilen-

stilentes errores cum commisisse evineat Cic. lib. eodem de Natura Deor. Hæc fertur tamen docuisse 1. Omnia casu fieri 2. Mundum esse ex atomis 3. Animas interire cum Corporibus 4. Providentiam Dei esse nullam 5. Summum bonum consistere in voluptate. Unde Horatio ansa data canendi *Epicuri de grege porcus*.

Eius Sectatores erant, Servus ejus Mus, qui enim philosophabatur, Hermachus, Celsus, Lucianus, & multi Romanorum, ut Lucretius, Pomponius Atticus, Trebatius & Cassius Caesaris interemtor; Maronem item ultimos annos vitæ suæ eidem Sectæ se mancipasse sunt, qui credant.

ELECTIVA jam succedit Secta, ἐλεκτικαὶ Eclectica Gracis dicta. Si Secta dicenda sit, quæ nulli planè est addicta, præ ceteris vel eo nomine magni facienda, si non ipsis anterenda, quod non ita se manciparit uni, quin pro suo commodo, ubi visum fuerit, poterit se inde extricare, decerpit sibi floribus non adspectu primo odoriferis magis quam utilibus, & ad philosophandum adprimè necessariis. Orum hæc debet suum Potamoni Alexandrino, qui selegit & excerptis placita è Sectarum singulis. Hunc Potamonem οὐ γέγονον fuisse Augusto, clarum sit testimonio Suidæ, dicentis: *Potamon Alexandrinus Philosophus, qui fuit ante Augustum & post eum.* Hujus scripta jam deperdita si superessent, nullum esset dubium, quin magno essent futura usui hodiernæ Philosophiarum, in tam varias sectas & partes distractas ac divisas. Hac philosophandi genus, ut nulla re magis meretur commendari, quam quod non pendeat ab ore Magistri, nec in ullius præ reliquis inclinet, nisi veritate suffultas partes; commoveri se magis patiens vero, quam unius vel alterius alto supercilio; Ita etiam pauciores admittit ad interiora penetralia, cum hebeti & inertii Sectario, studioque partium addicto admissio propior sit denegata. Nec tamen sperandum, quasi omnia, quæ Eclectici proferant, scriptoque consignent, tam absoluta, sincera, ac errorum omnium immunita sint, ut in ea non aliquando via s. potius absonta irrepant; quæ tamen corrigi possunt re bene rumphata, pensitata, adcurateque examinata. Quod fieri videbimus, quando constabit, utiliora, ex Veterum & Recentium placitis

tis ad Veritatem indagandam aliisque fideliter communicandam, solicita cura & diligentia erit proponique, veterum lubentes acceptando imperia, si manus tua fuerint, & in Tyrannidem vel dictaturam aliquam non degenerarint, ut recentiorum, quae habeantur faciliora, clariora & vero magis conformia non negligantur, vel ob novitatem suspectam eliminantur, atque in miserum exsilium abigantur. Libero utique homine libera Philosophia, ad seruendum vero nato sectaria digna. Amicus Plato, amicus Aristoteles, sed magis amica veritas. Et certe secundum Aristotelem l. i. Ethic, c. 4. ὅτους προτιμᾶς τὴν ἀληθείαν, sanctum est Veritatem honorare. Ex Vett: addicti huic Sectæ videntur Pythagoras, Zeno & Plato: ut & Cicero & Seneca. Ex Recentioribus Verulamius, Honoratus Fabri, du Hamel, Casteletius, Rappoltus & Sturmius,

#### §. XIV.

Ami ad Scholasticam, Rameam & Carthesianam eundum est Philosophiæ Sectas & Placita; in quibus singulis, ex dignitate endandis, prolixam operam, imò tractatum singularem requireret necessitas, quæ mihi imponere videtur, hocce ut efficiam, nisi tempore exclusus, sufficere sperarem hac vice ea heic indigitalle, quæ faciant ad earum mentionem solam deducendam.

SCHOLASTICÆ philosophiæ Origo adscribitur Joanni Rucelino, sive secundum alios Discipulo ejus Petro Abedardo, s. Lombardo: Quæ deinceps in tres Classes divisa est:

Prima initium summis a Lombardo, & duravit ad tempora Alberti Magni.

Secunda ab Alberto Magno ad Durandum duravit, in varias item divisa Sectas, ut Albertistarum, Thomistarum & Scotistarum. de Alberto testatur Trithemius, quod Aristotelis dogmata verbo Dei æquivarit. Possev. tamen lib. de cultura ingeniorum c. x. refert, quod Senex Aristotelicam Philosophiam detestatus sit.

Tertia à Durando ad tempus reformationis permanxit, Secta Occamistarum memorabilis, de quibus Thomasius in Aulica sua Philos.

Ad. p. 26. pluribus. Scholastici hi Evangelium ejusque medullam  
cum plurimis Aristotelis, Averrois & ejusmodi aliorum placitis  
miserum in modum confuderunt inanibus quætionibus, variis  
unius dicti sensibus productis, utest fœcunda Ignorantia, & op-  
positionibus Studiosam Juventutem, quasi in Ludo quodam im-  
pudentiae & improbitatis exercuere. Hinc sigitur Cordatores  
viri, non una vel simplici vice sunt conquesiti, quod Theologia tam  
multis spinosis & inanibus sit deformata tricis, quætionibus &  
concertationibus. Quid enim utilitatis exspectandum est ex fu-  
tilibus & ineptis istis ingeniorum Crucibus, v. g. singularisationi-  
bus, Susceptibilitatibus, infinitationibus, aptitudinalitatibus, ho-  
mineitatibus, subsistentialitatibus, & nullitatibus, aliisque barba-  
ris, ambiguis, non dicam vix quid significantibus terminis, me-  
moriam & omnem sanam mentem corruptentibus & perden-  
tibus, quibus bonas Chartas inutiliter perdiderunt, & foede con-  
spurcarunt Scholastici. Nihilominus ab ipsis culto Aristotele, lo-  
co Numinis, quem Colonenses Divis & Sanctis accensent, confe-  
rentes eum Johanni Baptista, vid. Sleid. l. 2. de statu religio-  
nis, inqviens: *Aristoteles Theologis Scholasticis in summo pretio est, &*  
*nihil ab eo dictum tam absurde, & alienum à nostra religione, quod*  
*non defendant, quod non aliqua interpretatione quantumvis longe pe-*  
*tita circumvestiant, quo suus illi constet bonus, atq; nominis estimatio;*  
*sed inferunt, magni referre ad S. Scripturam intelligendam,*  
*Philosophorum & in his Scholasticorum quæstiones sibi reddidisse*  
*familiares, ut facilior & felicior progressus fieri in Theologia*  
*possit, his rectè se habentibus.*

Verum heic accuratè advertendum est, nobisque prospicien-  
dum, ne sic Scholasticam amemus Theogiam, ut in matæolo-  
giā incidassemus seu degeneremus, de frivolis nugis sine fine di-  
gladiantes. Quid hic dicent Theologi quidam, ait Erasm. in Ex-  
plicat: verborum Pauli 1. Cor. ii. 13. ut sibi videntur, qui tra-  
dendo Sacras Literas, nihil crepant, nisi philosophiam Aristote-  
licam; Homines omnium miserrimi, quo studiosius laborare  
hoc magis errant necesse est, non secus ac illi, qui semel aber-  
tarint.

rarint a via, qvo vehementius currant, eo magis errent. Qvare, ut prudentissimè de Thoma idem judicat, præstabat, aliquanto minus Aristotelicum esse, qvam divinæ veritatis carere adminiculo. Qvicqvid sit, Aristoteles tamen non ideo rejiciendus est, qvod aliqui eum minus rectè interpretentur & adplicant, abusu enim non debet tolli usus. Qvis enim ejus destitutus opera adcuratam cùm adversariis præcipue Jesuitis, Pontificiæque religioni addictis disputationem potest instituere? Qvis item in tribus reliqvis Facultatibus felicem operam navasse dicendus est, nisi instructus ante fuerit præceptis Aristotelis aliquatenus?

Jam ad RAMEAM progrediendum est, Sectam, tota via receudentem ab Aristotelica. Qvæ autore Petro Ramo Veromanduo Profess. Parisiensi orta est. Ramistica alias dicitur, de qua hæc Schriftus in Institut. Log. p. m. 41. Scilicet verè est ramistica, saltim ramenta quadam Philosophia retainingens, flore sapientie potissimum desperdito. Primam namq. Philosophiam seu metaphysicam non agnovis, Physicam generalem ignoravist, Ethicam & tetram morum doctrinam neglexit, Logicam misere mutilavit, alisq. heterogeneis conspurcavit. His accedit Vossius de Philosophia ejus hoc judicium ferens: Petrus Ramus. Vir doctus ac dissertus, sed qvì non debuerit tam petulanter suo abuti ingenio, ut mirer viros esse non malos, qvi sic in deliciis habent ejus animadversiones sive Scholas; qvas ille, ut adversariorum aliqui satis acerbè scribunt, Oratorum & Poëtarum florculis exornavit, ut facilius & certius inficeret juventutem. Et infra; Hoc etiam imminuit culpam, qvod, qvo tempore illa scribebat Ramus, tanto in pretio passim esset Aristoteles, ut non minus piaculare judicaretur, si qvis ab Aristotele dissentire ausus esset, qvam si sacras negaret literas.

Verum enimverò qvidqvad hoc sit, si cum Havenreutero fteamur, non alienum est ab nostro officio, Ramum fuisse virum acuto ingenio, indefesso studio, multiplici eruditione, qvi singulari modo & Socratica occultatione plus se effecturum putavit, qvam si communia retineret præcepta, & Aristotelico candore damnaret noxia, utiliave celebraret. Qvandoqvidem

dem in Doctissimo viro reprehendi neqve potest, neqve debet qvod usum Präceptorum ursit, & fidem Logicam illustribus & vulgaribus, sive qvotidianis exemplis manifestare conatus fuit. Addatur Judicium de hocce clarissimi Jacobi Martini & aliorum nomine & fama clarorum Virorum, qvi conatus ejus non improbare videntur.

RENATUS des. CARTES Gallus nobilis Peroni Dominus philosophiam reformare adgressus, multos invenit se seqventes, Aristotelica philosophandi ratione antea Scholasticorum spinosis qvæstionibus deformata, jam correcta vel planè abrogata, principia alia adinvenire, & qvæ citra curatius examen ab aliis admissa erant, ex animo removere, ut à præconceptis opinionibus se prorsus liberaret, opere annis est summo. Qui certè à viris celeberrimi nominis talis existimatur, qvalem cognitum eum & exploratum deinceps judicant illi, qvi eum viam veri indagandi, & ejus obtinendi (qvod ante eum non multis datum novere) invenisse sibi & aliis gratulentur. Imo hac philosophia ad tantum succrevit fastigium, ut à plurimis sibi pararit existimationem magnam & insignem, qvæ par esse iudicatur obrectationibus invidorum retundendis, gloriaqve suæ vindicandæ. Hoc supposito fundamento, qvod opiniones de rebus naturaliter cognoscibilibus speculativis, à sensibus fallacibus, vel aliunde depromptas tamdiu animo qvæsi debeat, imo falsas esse singulæ, post diligens Examen, postliminio qvæsi recipiantur. Ait dubitatio ejus cum difficultate magna multis videtur conjuncta, vid. la Forge præfat p. 3. sicut & otiosa & superflua; ideoqve Scepticum agere sibi imperavit hyperbolice dubitantem, vel potius simulavit, Scepticorumqve more dubitationis vim atque mōdum detexit, attamen non habendis Hypothesibus Scepticis pro Carthesii thesibus. Unde ipsi duplex erat reliquus usus, animo liberato à præjudiciis & erroribus, itinere aperto ad naturalis certitudinis principium admittendum, qvod secundum illum hoc est: Dubito, ergo cogito, et qvia cogito, ergo exsisto; adeoqve de omnibus esse dubitandum

voluit, qvo admissio negari non poterit, se existere, cum dubitans non esse nequeat. Qvod si jam ex hoc jacto dubitationis principio propriæ suæ existentiaæ conseqvutus fuerit confessionem, fundamentum sibi jactum esse credit, cui scientiaæ reliqvaæ superstrui qveant, eo qvidem ordine, ut *ex sui Existentia Deus per Ideam innatam*, ex hac sensuum ratione munitorum non amplius dubia fides, & hinc reliqua, qvæ mens humana viribus suis adseqvi potest, ita clarè & distincte demonstrantur, ut etiam des Chartes nihil suorum Dogmatum, à quoq; credi velit, nisi qvod ipsi evidens & invicta ratio persuaserit.

Unde oritur, propter dictas Carthesii rationes, principium modo-laudatum, *ex alio reali non demonstrabile & aptum, ex quo tota Philosophia a monstratur, Sceptram etiam obstinatiissimum convincens, ab intellectu non à sensibus ortum.* Et certè hæc ejus est sententia, corpora omnia, qvæ in Mundo sunt si tollantur, se tamen, dum cogitat, sufficienter existere, sive satis esse ipsi, ad conscientiam existentiaæ suæ cogitationem, ita ut ad evidentem hujus Veritatis, sum Res, notitiam, non opus sit ad alia qvæcunq; præter cogitationem attendat & se convertat. Cogitatio igitur est sui, sive mentis suæ, sive ejus, qvod in ipso est, præter Corpus, Essentia & natura. Sed qvid multis? Suam rationem philosophandi tanti esse valoris dicit ipse, dissert: de method. p. 12. ut nulla sint tam remota, ad qvæ tandem pervenire non liceat, nec tam occulta, qvæ non detegi possint. Cujus etiam principiorum philosophicorum tantus esse judicatur usus, ut non solum Veritates, qvæ hactenus ante ipsum aliis incognitæ erant, detectæ sint, d. & de rebus qvibuscunq; obviis rectius judicare doceant; (cujus prorsus contrarium usum producere dicit Philosophiam vulgarem.) imo ea excolendo ad perfectam totius Philosophiæ cognitionem, summumq; Sapientiaæ gradum, perveniri posse Präfat. ejus. Qvinimo sua principia tantæ esse evidentiæ & certitudinis, inquit, ut omnem Disputandi materiam è medio sublatura sint, atq; animos ad Concordiam dispositura. ibid. Huic ejus Sententiaæ ad-

sen-

sentiuntur plurimi hujus seculi eruditii, ex quibus Tob. Andr. assert.  
meth: Carthes. haec de eo profert: *Carthesium novo & emulando  
cunctis verè Philosóphiis, imitando serio rōis. Philosóphiis & Philo-  
sophiis, exemplo quasi visse, invenisse, delineasse, instituisse viam Sa-  
pientia tam rectam ac infallibilem, ut ea progressus, consultā & sic tandem  
penitus inspecta atq; excussa ipsa rerum naturā, primus abdita ejus igno-  
rata hactenus recluserit tam feliciter, ut nec ipse, nec qui ejus vestigia  
pede pressim secuti, ullius hactenus Erroris, in iis, quae ēa via eruta pro-  
dere, jure argui, multo minus convinci potuerint, nec unquam convi-  
ctum iri spes sit, dum homines sani Sincipitis, ac Philosophi Veri, ingenui,  
solidi in mundo supererunt. Sed haec hactenus de Sectis.*

### S. XV.

**L**ustratis sic breviter Philosophorum Sectis, & adytis interioribus,  
ad Philosophiæ divisionem properemus, ratio promissi in præf.  
facti nobis imperat; quo facto ad ipsum nostrum, cuius initium jam  
facimus, tanto promptiores tendimus tractatum; Nos ne qvidqvam  
morari sinentes illorum opiniones, qui

1. Philosophiam in propædiam & Pædiam distinxere, illius comprehendentes nomine eas disciplinas, quæ sapientiæ comparandæ tanqvam instrumenta inserviant, distingendo eam in Generalem & Specialem. Ad illam, Logicam, Rheticam & Grammaticam, ad hanc verò disciplinas Mathematicas referentes; Pædia parti generali accentos Physica, Ethica, Speciali vero Historiam & Poësin. Nec videmus hanc multo esse alienam ab divisione ista, quâ in Rationalem & Realem dividitur.

2. Platoniorum & aliorum nonnullorum divisio Philosophiæ, in Logicam, Physicam & Ethicam, ut nimis arcta à nobis non probatur, quum eorum placitis stando, è Philosophiæ campo proscribantur Methaphysica & Mathematica, reliquis ne qvidqvam cedentes Disciplinæ.

Nec 3. illis, inter quos eminet Toletus, assentiri convenit, qui Philosophiam dividunt in θεωρητικὴν, πραγματικὴν & ποιητικὴν sc. in speculativam, activam & factivam. Namque hac eorum stante sententia, artes manuariæ utilitatis & necessitatis ergo inventæ, & non simpliciter honestatis aut cognitionis causā introductæ, in tam excellentis doni à Deo hominibus concessi, Philosophiæ nempe, numerum essent referendæ, quod an quis Philosophus admittat, non facilis dixerim.

Proximum est ut differamus, 4. de sententia eorum qui Philosophiæ partes faciunt binas, Generalem scilicet, quæ circa Ens & non Ens occupetur, & Specialem quæ certum ac determinatum subjectum habere dicitur. Quamvis non omnia improbari videatur hæc distributio, si aliter quam ad mentem Rami intelligatur, comprehensis nempe nomine partis generalis, disciplinis istis generalibus, non Grammaticâ solum, Rheticâ & Logicâ, verum etiam Metaphysicâ ut & secundum aliquos Noologicâ ac Intelligentiâ, quæ habentur generales ratione objecti & usus. Speciali vero parti inclusis disciplinis speciale habentibus objectum, Pneumaticâ, Physicâ, Mathesi & morali Philosophiâ.

Idcirco 5. rectius facere nos existimamus, dum retineamus vulgatam Philosophiæ divisionem in Theoreticam & Practicam, missâ antiquâ in naturalem, moralem & rationalem divisione. Quum aliæ disciplinæ in rerum necessiarum contemplatione versentur, quæ à nostro non pendeant arbitrio, adeoque à nobis nec fieri nec alterari possint; aliæ vero circa res contingentes occupentur, non adquiescentes harum cognitione nuda, sed ulterius post cognitionem earundem progradientes ad operandum quæ qvoniā à nobis pendeant, & in nostra potestate sint sitæ, idcirco contingentes dicuntur. Hasce ambas, notum est, tribus differre modis, subjecto, objecto & fine. Namque subjectum informationis Philosophiæ Theoretice est intellectus; Prætice vero voluntas. Objectum Philosophiæ Theoretice res sunt necessariae, Prætice

*Practice* verò res contingentes. Finis *Theoretica* est, *Sewēia* seu *Contemplatio rērum necessariarum*, *Practice* verò πράξις sive actio honestarum.

Ad *Theoreticam* spectant *Metaphysica*, *Physica* & *Mathesis*; *Practicæ* accensentur *Ethica*, *Politica*, *Oeconomica*, qvamvis non videatur necesse, ut disciplinam seorsim conficiat *Oeconomica*, rationibus evinentibus, illam *Politicis* posse comprehendendi. Qvod ad *Logicam* attinet, *Thomassus* in aulic. *Phil.* autor est, seistēntiam Platonis sibi non videri ineptam, qvæ *Logicam* partem esse *Philosophiæ* arguit, nec repugnare hoc magis, qvam instrumenti eandem appellare nomine. Cum quo consentire videtur *Pererii* l. 2. Phys. c. 18. sententia, qva statuit, dum disputatur, an *Logicæ* sit *Scientia* vel pars *Philosophiæ*, nec ne; non tam in rebus qvam verbis & modo loquendi esse controversiam: Aliis nimirum *Philosophiæ* & *Scientiæ* nomen latius & impropriè: Aliis vero angustius & magis propriè sumentibus. Qvicqyid demum sit, non absurdum est tenere idemq; defendere, qvod *Logica Philosophiæ Organon* reliquis disciplinis addiscendis necessaria eisdem in plurimis inserviat. Nec qvidquam in nobis videtur melius mente sanæ bonaq; , qva verum à falso discernere rerumq; naturas detegere valeamus. Dum enim cæteræ arimi dotes limites suos habent, & nos nisi qvibusdam muneribus depurantur, tum ingenii rectitudo omni vitæ usui conduit, & non minus in negotiis tractandis, qvam adipiscendis scientiis proficua est. Le Grand. Plura ad *Philosophiam* in genere spectantia videre liebit in Aul. *Phil.* c. 33. *Thomasi*, ut & apud alios ex recentionibus & veteribus. Ultra demum harum, *Theoreticane* an *Practica* sit præstantior ac nobilior, non primum hodierno disqviri cæptum est die. In eo tamen plurimorum Eruditiorum judicia convenient, qvod *Theoreticæ* seu speculatrices, sint præferenda *Practicis*, unde etiam prior dignitatis locus *Metaphysicæ*, alias Ὀντολογία vel Ὀντοσοφία dictæ, adscribitur; Cui jungitur *Pneumatica* comprehendens in se *Theologiam Naturalem*,

ralem, Angelographiam & Psychologiam. Has excipit Physica & Logica, in qvibus opera mea, Deo vitam viresq; sufficiente, in posterum occupabitur. Proxima hisce venit illis Mathesis, & deum Philosophia moralis. Qyamvis non desint rationes prægnantes, qvibus singulæ dignitatem suam exserere queant, nec videatur res tantivis pretii, ut opera & oleum, qvod dici solet, per dentur in non necessariis, super hoc negotio, altercationum reciprocationibus; qvum tam arcto vinculo & mutuo födere singulæ sint juncta disciplinæ, ut qvi unam vel alteram harum judicarit inutilem, suum vel prodat in literas odium, vel maximè ignorantiam in iis percipiendis, qva exactissima ingenia totam ætatem exercuere, imo aliquando rorsere. Sufficiat autem si illis, qvos optimus, ut proverbium est, amavit Jupiter, constet, hæc ce non fusque deqve habenda vel alto supercilio contemnenda, qvum heic maximè locum inveniat Illud, artem non habere oserem, nisi ignorantem.

